EXAMEN
LIBRI PONTIFICALIS,
SIVE
VITARVM ROMANORVM PONTIFICVM.

NOs apes debemus imitari, & quæcunque ex diuerſa lectione congeſſimus, ſeparare. Melius enim diſtincta ſeruantur. Deinde adbibitâ ingenij noſtri curâ, & facultate, in vnum ſaporem varia illa Libamenta confundere: vt etiam ſi apparuerit vnde ſumptum ſit, aliud tamen eſſe, quàm vnde ſumptum eſt, appareat.

Seneca Epiſtola LXXXIV.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DD.

RAYMVNDO
CAPISVCCHO,
A C
LAVRENTIO
BRANCATO DE LAVRÆA,
S. R. E. CARDINALIBVS
AMPLISSIMIS.

EORVM, qui literarios labores prælo ſubijciunt, vnicum ſcopum eſſe ſemper exiſtimaui; glorioſam adeptæ Virtutis laudem, dum in viuis agunt, ſibi adſciſcere, morte verò interueniente, Virtutis eiuſdem notam

ſeræ

ſeræ poſteritati relinquere. Id autem ille inter cæteros planè conſequi mihi videtur, qui non vulgares, atque fucatos, ſed candidos, ſolidoſque ſapientum virorum pla uſus aucupatur: laudari enim, vt aiunt, à laudato Viro, ſummum gloriæ eſt. Cùm itaque nobilis huius deſiderij ſtimulis agitatus, typis daturus eſſem examen in Codicem Vitarum Pontificum Romanorum, qui ſub Anaſtaſij Bibliothecarij nomine circumfertur, hos meos labores, qualeſcunque ſint, ab ijs potiſſimùm Viris legi in votis habui, qui inter doctos, ac eruditos primas teneant; vt ſi fortè ab eiſdem probentur, tam expetitas, dulciſſimaſque laudum illecebras aliquando delibem, quæ vnicum lac virtutis, ac præmia ſunt. Verum hæc mihi vota facienti fauſtus illicò, clariſſimuſque Veſtræ doctrinæ fulgor emicuit, mentiſque adhuc incertæ oculos circumfulgens in ſui contemplationem ita rapuit, vt præter Vos viderim neminem, cui meliore auſpicio meas haſce lucubrationes conſecrarem. Ad Vos igitur, ſapientiſſimum par, eò ſecurior accedo, quòd gratiam ſimul, ac

iuſti-

iuſtitiam pleniùs conſecuturum eſſe confido. Gratiam quidem, ſi graues inter, ac diuturnos, quos Purpura parit labores, aliquid vel breuis otij admiſſeritis, quod meæ, huic opellæ legendæ ſit ſatis. Iuſtitiam verò; ſi ex iſtiuſmodi lectione, quod ſapientiæ, ac prudentiæ Veſtræ fuerit, iudicium protuleritis. Quod ſi nulla in ea ſint, quæ defæcatiſſimis oculis veſtris arrideant, ſtudium fortaſſe, quo non quidem leui in his concinnandis opus fuit, teſtimonio Veſtro probabitur, qui diuturnâ exercitatione, & in lucem datis operibus, ſatìs ſuperque edocti eſtis, quantum temporis, quantum ſollicitudinis, atque induſtriæ in huiuſmodi lucubrationibus ſit inſumendum. Id autem Te maximè decet, Eminentiſſime Capiſucche, qui antequam Purpurâ decorareris, longâ annorum ſerie in Librorum Cenſura adeo profeceras, vt Tibi Iure optimo, Sacri Palatij munus commiſſum fuerit, cuius præcipuum eſt ea, quæ edenda ſunt opera, ſeuero examini ſubijcere, atque adeò maximum doctriuæ ac prudentiæ argumentum dare. Te verò Eminentiſſime de Lauræa,

cui

cui ob inſignem doctrinam Vaticanæ Bibliothecæ cura demandata olim fuit, modò Verò ſupremus illius arbiter es: Tuus in eodem Bibliothecarij munere Anteceſſor, à me inter alia à calumnijs vindicatus maximè reſpicit, ſuam à Te cauſam ſuſcipi, Tuoque ſe Patrocinio defendi tacitus orat. Agite ergo Patres Eminentiſſimi, mea hæc ſtudia, quæ Vobis dedico, ac ſacro, facili, ac benigno vultu ſuſcipite, atque vtinam ea Vobis, quamuis nulla alia ſint, per quæ probari mereantur, hiſce tamen de cauſis, nominibuſque, haud ingrata fuiſſe cognoſcam! Tunc enim fiet ne iam concepta ſpe cadam, atque hoc tam grandi incitamento non ſine laude audacior factus, plura in dies, atque meliora concipiam. Valete ad Literariæ Reipublicæ bonum nati Principes.

Humill. Deuotiſs. & Addictiſs. Seruus

Ioannes Ciampinus.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

DAVIDICVM illud: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat Scientiam*, quàm maximè in ſtudio verum eſſe, diuturno Scriptorum omnium experimento probatum eſt. Aſſiduitas enim illa, & egregia pertinacia ſtudendi id efficit, vt opus aliquod aliud excitet, & in illud acuto atque amabili quodam ſtimulo ſcribentis animum impellat: Id ego ſatìs in dies experior, dum Sacrorum Muſiuorum operum deſcriptioni operam do: Namque vix aliquâ re abſolutâ, alia ſupervenit adeò, vt ſuauiſſimâ quadam rerum eruditorumque laborum catenâ videar trahi. Verùm ſi id vnquam, præteritis hiſce menſibus maximè ſum expertus, cum Religioſiſſimi Imperatoris Conſtantini Magni memoriam in Chriſtianorum animis excitaturus, omnia Sacra ædificia ab ipſo tam in Occidente, quàm in Oriente conſtructa, deſcriberem. Adfuit enim Vir cæteroquin erudiˈtiſſimus, qui præter alia, me, quibuſnam ab

Auctoribus pro ea diſſertatione conficienda notitias haurirem, efflagitauit, cui ego pro ædificijs Occidentalibus multas ab Anaſtaſio Bibliothecario, pro Orientalibus verò ab Euſebio, alijſque depromere ingenuè faſſus fui. Tum ille: Quænam, inquit, fides habenda eſt Anaſtaſio, qui Scriptor fuit quingentis & vltra annis Conſtantino Magno poſterior? & ego non ſinè graui animi motu loquentem interpellatus: Si fides, inquam, Anaſtaſio neganda eſt, cui per tot ſæcula vt Hiſtorico quolibet exceptione maiori, & tanquam textui auctoritas tributa fuit, quid de quamplurimis alijs Hiſtoricis dicendum, qui longè pluribus ſæculis poſt quàm res euenêre, eas tradiderunt? num fides omnibus obroganda? non equidem. Etenim pro certo habendum eſt fabulas aut ſomnia non conſcripſiſſe: alioquin tandiu ſub ſpecioſa veritatis perſona deliteſcentes Reipublicæ haud impoſuiſſent. Qualibet enim ætate Viri eruditiores, & vt aiunt, emunctæ naris, vixêre, viuuntque, qui fabularum, figmentorumque inuentores ſatìs ſubolent, vt de fictis Scriptoribus à Ioanne Annio Viterbienſi inuentis notum eſt. Inde verò mecum, quæ obiecta fuêre contra Anaſtaſium, ſeriò recogitans, tantì Anctoris tutelam ſuſcipere, illumque à Calumnijs inuidorum hominum pro virili, huiuſcemodi diſſertatione vindicare conſtitui;

qua

qua equidem ſpero fore, vt quid de Anaſtaſio, ac de Libro Pontificali, ſiue de Vitis Romanorum Pontificum, qui ſub ipſius nomine circumfertur, ſentiendum, quantaue ipſi fides habenda ſit, luculentiſſimè appareat. Quamobrem, nè te pluribus morer, amice Lector, hæc, quæ candidiori Iudicio tuo ſubijcio, libens adi.

IVdicium de Opere, quod inſcribitur, *Examen Libri Pontificalis, ſiue Vitarum Ro: Pontificum, quæ ſub nomine Anaſtaſij Bibliothecarij circunferuntur*. Noueram dudum ſi qui viuunt in Orbe vel Σόφοι, vel ſaltem Φιλόσοφοι, in Vrbe præcipuum ſe reperire Mæcenatem ſub Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Ioanne Ciampino, cuius operâ, ſtudio, & benignitate, ſuam, ſiue ſacram, ſiue profanam eruditionem augent, auctam confirmant, confirmatam Reipublicæ Litterariæ exponunt, perpetuum ſuæ in tantum Præſulem obſeruantiæ teſtimonium: agnoſco nunc etiam veteres ambire ſui vmbram patrocinij, dum ad aſſerendum, elucidandum, & vindicandum Pontificale Romanum, eodem Illuſtriſſimo Ciampino Auctore prodit *Examen Libri Pontificalis &c.* Lectus à me, de ordine Reuerendiſſimi P. Dominici Mariæ Puteobonelli S.P.A.M. Præfatus liber, cenſuram hanc vnicè, meo iudicio patitur, quod Auhor opus à ſe iam multò ante ſummâ eruditione, & rei Eccleſiaſticæ vtilitate elaboratum, diſtulerit huc vſque publici iuris facere. Quanquam autem ſerò prodeat, nunquam tamen parcè proderit, vtpote quòd non modò nil continet Fidei, aut bonis moribus contrarium, ſed omnia maximè proficua tuendæ antiquitati, quæ eſt Catholicæ Religionis Principale fundamentum. Ita ex ædibus Sanctæ Mariæ in Porticu in Capitello, ſentio. Hac die 20. Aprilis 1688.

Ego Franciſcus Maria Campionus Theologiæ Lector, & Regularis Conciliorum Academiæ in SS. Coſmæ, & Damiani Præſes.

Infra-

INfraſcriptus tam attentè quam iucundè percurri opus inſcriptum: *Examen Libri Pontificalis &c.* Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini Ciampini accuratiſſimo ſtudio elaboratum, vbi contentioſas Criticorum quorundam prurigines ſtudioſè, & ſolidè retundit, Venerādamque antiquorum Scriptorum, & monumentorum authoritatem priſtino ſuo iuri reſtituit, ac contra rimas, cuniculoſque quibus eiuſmodi Critici, ſeu Petrones, illam ſubruere moliuntur, egregiæ propugnat: opus proinde ſicut vtiliſſimum, ita luce publica digniſſimum cenſeo, ex Collegio Sancti Iſidori de Vrbe die 27. Aprilis 1688.

Fr. Franciſcus Porterus S. Theologiæ Lector Iubilatus.

Im-

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij.

Stephanus Ioſeph Menattus Epiſcopus Cyrenen. Viceſger.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sac. Pal. Apoſtol. Magiſter Ord. Prædicat.

IN-

INDEX CAPITVM

Operis Propilæum.

AN vitæ Romanorum Pontificum ſub Pontificali, ſeu Damaſi nomine vulgatæ, & reliquæ ſequentes, ſpectent ad Anaſtaſium Bibliothecarium, & quænam ipſi fides præſtanda? Pag. 1.

Sectio I. *Opiniones diuerſæ circa Auctorem libri Vitarum Romanorum Pontificum.* pag. 3.

Sectio II. *Quid obſeruandum, vt certior de ſtylo cenſura proferri poſſit.* pag. 38.

Sectio III. *Generalis Cenſura circa ſtylum de vitis Romanorum Pontificum in Codice Anaſtaſiano.* pag. 45.

Sectio IV. *Comparatio Anaſtaſiani ſtyli cum ſtylo Vitarum Nicolai I. Hadriani II. & Stephani VI.* pag. 54.

Sectio V. *Comparatio aliarum Vitarum cum ſtylo Vitæ Nicolai.* pag. 62.

Sectio VI. *Vitas Romanorum Pontificum, præter Anaſtaſium, diuerſos alios habuiſſe Auctores oſtendi-*

ditur. pag. 72.
Sectio VII. *Quiſnam fuerit Auctor Vitæ Hadriani?* pag. 77.
Sectio VIII. *Cur Anaſtaſius Vitas Hadriani II. & Stephani VI. non ſcripſerit.* pag. 80.
Sectio IX. *Cur multæ Vitæ rudi ſtylo ſcriptæ fuerint?* pag. 84.
Sectio X. *Quid ſentiendum de duabus ſuperius relatis Epiſtolis Hieronymi ad Damaſum, & Damaſi ad Hieronymum.* pag. 87.
Sectio XI. *Summa totius diſſertationis.* pag. 105.
Sectio XII. *In qua Anaſtaſius Bibliothecarius ab Heterodoxorum calumnijs vindicatur.* pag. 108.

OPE-

OPERIS PROPYLÆVM.

An Vitæ Romanorum Pontificum in libro Pontificali ſub Damaſi nomine vulgatæ, & reliquæ ſequentes ſpectent ad Anaſtaſium Bibliothecarium; & quænam ipſi fides præſtanda ſit.

EO' deuenit in re literaria præſentium ingeniorum acumen, vt quò maiori felicitate in omni ſtudiorum genere proficit, eò altiori indagine in perſcrutandis illorum principijs inſudet, adeò vt venerandam antiquitatis dignitatem in dubium reuocari, ſanctiſſimaque Religionis auitæ monumenta denigrari, aut euerti non ſinat. Fatendum quidem eſt, nullum aptius inſtrumentum ad ſinceriores eruditarum meſſium fructus colligendos excogitari potuiſſe critico cribro, ſi moderatè ac diſcretè eo vtamur.

Quòd ſi argutè nimis, & ad ingenij potius oſtentationem, quàm ad veritatem è tenebris educendam adhibeatur, adeò vſque cuncta conturbat, peruertit-

titque, vt veritas ipſa lacera potius, fœdataque mendacij cœno ſordeſcat, ac inuoluta remaneat, quàm priſtinæ integritati reſtituatur.

Prodijt olim in Italia ad ſacrarum, humanarumq; rerum ſubſidium cenſura primis Eccleſiæ ſæculis, cùm Gelaſius Summus Pontifex genuinos, ac germanos Codices ab apocryphis ſecreuit, vt videre eſt in Synodo Rom. relata in diſt. 15. c. 3. Adoleuit exinde pedetentim multorum Scriptorum Iudicijs, qui præcedentium Auctorum Catalogos inſtruxerunt, eorumque opera examinârunt: circa finem ſuperioris ſæculi longè ſeuerior exilijt, vt ex Catholicis, & Heterodoxis facillimè arguere quiſque poteſt, ex Baronio ſcilicet, Bellarmino, Magdeburgenſibus, alijſque. Noſtro tandem ſæculo, & præſertim hac ætate affluentibus vndequaq; Criticis ad ſummum elata faſtigium vlteriùs prouehi cenſura non valet. Exemplo ſit Hiſtoria Roman. Pontif. quæ ſub titulo *Libri Pontificalis*, ſiue *Damaſi*, aut *Anaſtasij Bibliothecarij* circumfertur, de cuius Auctore cùm grauiter ambigatur, & varij varia autumauerint, eos proinde hìc ſubijcere cum eorumdem coniecturis, ſi quas afferant, nobis decretum eſt, vt cæterorum opinionibus præuijs, libratiſque, cui nos adhærere velimus, & adhærendum putemus, non temerè delegiſſe videamur. Has autem vt certius, clariuſque Iudicium proferri poſſit, in ſeptem claſſes digerimus.

SE-

SECTIO PRIMA.

Opiniones diuerſæ circa Auctorem Libri Vitarum Romanorum Pontificum.

PRIMA opinio illorum eſt, qui vitas Romanorum Pontificum à Sancto Petro vſque ad Liberium S. Damaſo adſcribunt, ac geſta illa eadem fuiſſe arbitrantur, quæ D. Hieronymus à S. Damaſo literis expoſtulauerat: reliquas verò vitas vſque ad Nicolaum I. Anaſtaſio tribuunt. Huius ſententiæ ſunt Ptolemæus Lucenſis Ordinis Prædicat. qui in principio lib. 6. Hiſt. Eccl. ex M.S. Barber. an. 1296. *Attende* (ait) *quod vſque ad Damaſum Chronica Summorum Pontificum vigorem accipiunt Damaſo ſcribente*. Landulphus de Columna, qui floruit Anno 1330. in ſuo Breuiar. Hiſt. Sabellicus. Ennead. 7. lib. 8. Anno 1494. *Damaſus hiſtoriarum cupidus, omnium, qui ante ſe fuerunt, Pontificum vitas, mo-*

numentis tradidit literarum, deditque id opus Hieronymo recognoſcendum. Petrus Crinitus de Poëtis An. 1500. hiſce verbis: *Item Librum de Romanis Pontificibus ſolutâ oratione, quem ad Hieronymum miſit.* adhærent Philip. Bergom. 1494. Trithem. in Damaſo, Vvernerius Vveſtphalus in faſciculo temporum Anno 1504. Franciſcus Ioannettus de Vitis Pontificum. Angelus Rocca de Bibl. Vatican. Anno 1590. Maurolyçus Abbas Siculus in Martyrol. Anno 1564. vbi ſic: *S. Damaſi Papæ, qui ſcripta D. Hieronymi probauit, ad quem Pontificum Geſta ſcripſit, Pſalmodias, & Gloria Patri primus edidit:* Annuit Platina in Damaſo his verbis. *Placatâ tandem Eccleſiâ Damaſus otio delectatus vitas Pontificum omnium, qui ante ſe fuêre, conſcripſit, eaſque ad Hieronymum miſit.* Quibus adde Pagannum Gaudentium in diſſertatione de Sancti Marci Euangelio, vbi contra negantes vulgatum opus, hæc ait: *Neque eſt quòd argutator aliquis obſtrepat, & dicat Librum Pontificalem non eſſe Damaſi; quæſo enim id vnde colligit? ac ſi ſemel fas fuerit tàm facilè Scriptorum nomina in dubium reuocare; quid deinceps non vacillabit?*

Secunda opinio ad illos ſpectat, qui memorata Pontificum geſta à Sancto Petro vſque ad Liberium, non ad Damaſum, ſed ad incertum Auctorem referunt; ita ſentit Baronius ad An. 69. N. 35. vbi

vbi duos tantùm Auctores fuiſſe conijcit, quos tamen non indicat: ait enim: *Hæc accepta eſſe noſcuntur ex libro vulgato nomine Damaſi de Romanis Pontificibus, ſed à diuerſis Auctoribus (vt verius puto) collecto: Nam demonſtrabimus pluribus in locis continere repugnantia inter ſe, ferè in vnoquoque Pontifice in annis cuiuſque conſignandis, vt ſatìs perſpicuè intelligi poſſit è duobus ſaltem Auctoribus illum conſarcinatum, nullâ habitâ ratione à Collectore eorum, quæ inter ſe pugnantia eſſe viderentur*. Baronium ſequitur P. Labbeus in ſuo Tractatu de Script. Eccl. in vita Damaſi, vbi etiam improbat id, quod aſſerit Papyrius Maſſonius de quodam Damaſo Epiſcopo Portuenſi, quem equidem perluſtrato Portuenſium Præſulum Catalogo in Italia Sacra Vghellij notatum haud reperi.

Tertiam opinionem tutantur ij, qui Damaſo, & Anaſtaſio prætermiſſis, vitas Pontificum Guilielmo Bibliothecario; ſiue Pandulpho Oſtiario Lateranenſi tribuunt. Ita præ cæteris Tortelius in ſua Orthographia: Matth. Syluagius Franciſcanus inter ſua Colloquia Venetijs edita anno 1542. qui etiam cuidam Petro Lateranenſis Eccleſiæ Bibliothecario opus adſcribere videtur; quæ opinio comprobari poſſet ex veteri quodam M.S. notato in Bibliotheca Vaticana num. 3762. in quo circa medium ſub Stephano II. titulus hic grandiori rubroque charactere

racterc conſpicuus eſt. *Petrus Guilielmus Bibliothecarius apud Accium, dum ibi moraretur Anno Dominicæ Incarnationis* 1142. vt annotauit Florauantes Martinellus in ſua Roma Sacra, cùm ſcriberet contra Anaſtaſium, quem alium cenſet ab eo, qui Vitas Pontificum ſcripſiſſe dicitur, coniecturâ deſumptâ ex eo, quod fuerit alter Anaſtaſius tempore Nicolai I. Papæ, *qui Abbas S. M. Tranſtyberim nominabatur, non autem Bibliothecarius*, vt dignoſcitur in præfatione vitæ S.Baſilij Confeſſoris exiſtente in vetuſtiſſimo illo Codice *ad Martyres* in eadem Bibliotheca Vaticana num. 5696. fol. 184. à tergo, vbi hæc: *Vrſo Ven.Subdiacono S. R. E. ſeu Medico, & Domeſtico D. N. Sacratiſſimi Papæ Nicolai Anaſtaſius exiguus Abbas Monaſterij Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Virginis, ſiti Tranſtyberim, vbi olim circa Domini Natiuitatem fons olei fluxit.*

Quarta opinio eos reſpicit, qui integram hiſtoriam Romanorum Pontificum ab Anaſtaſio Bibliothecario conſarcinatam agnoſcunt, quorum primus videtur eſſe Panuinius præteriti ſæculi Scriptor eruditiſſimus; is enim in vita Ioannis VIII. *Anaſtaſius*, inquit, *Romanæ Sedis Bibliothecarius vir Latinâ & Græcâ linguâ cruditus, qui Pontificum Romanorum vitas à Beato Petro Apoſtolo ad obitum Nicolai I. diligenter perſcripſit*. Idemque confirmat in notis ad Platinam poſt vitam Nicolai I. Iuit in hanc ſententiam

tentiam Ludouicus Iacobus à S. Carolo in ſua Bibliotheca Pontificia lib. 2. Sed vſque ad Stephanum VI. Anaſtaſium ſcripſiſſe aſſerit. Annuit his Papyrius Maſſonius in Benedicto III. vbi hæc: *Anaſtaſius Bibliothecarius, qui vitas Romanorum Pontificum vſque ad Benedicti III. ſucceſſorem Nicolaum ſcripſit*. Cui concors omninò eſt Scriptor nouiſſimus Antonius Teiſſerius in Catalogo Auctorum. Papyrium autem haud ex integro percurriſſe videtur idem Martinellus in ſua Roma Sacra, vbi controuerſum huiuſce Codicis Auctorem perquirens, poſtquam aſſeruit Maſſonium in Damaſum non inclinare, ſubdit eundem nihil de Anaſtaſio excogitaſſe, ſed Auctorem alium inquirere: qui profectò non ſcripſiſſet, ſi Papyrium, & præcipuè locum allatum accuratiùs luſtrâſſet.

Maximè prætereà fauet Anaſtaſio Codex vitarum Pontificum Romanorum, qui è celebri Bibliotheca M. Vvelſeri Auguſtanæ Reipubl. Duum-viri ſub Anaſtaſij nomine Moguntiæ editus fuit anno 1602. curâ & ſtudio Ioannis Buſſei Nouiomagenſis è Societate Ieſu, vt tradit Labbè de Script. Eccl. & colligitur ex Bibliotheca Scriptorum Societ. Ieſu. Ideò autem Anaſtaſio Bibliothecario prædictus Codex adſcriptus fuit, quia tota ſcribendi ratio, ſtylus, ac methodus vitarum, quæ in eo poſt illam Damaſi continentur à præcedentibus Damaſo hucuſ-

que attributis, nihil omninò differre videntur, quod fortaſſe in eandem hanc opinionem impulit Bellarminum, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis plura referens, ait: *Anaſtaſius Bibliothecarius & Abbas Romanus vir doctus Græcè & Latinè ſcripſit vitas Pontificum Romanorum à Diuo Petro, vſque ad Nicolaum I.*

Quinta opinio docet vitas Pontificum ex tribus antiquiſſimis Catalogis ab Anaſtaſio depromptas. Eamque amplectuntur Clariſſimi Viri Godefridus Henſchenius, & Daniel Papebrochius è Societate Ieſu, qui in ingens opus ſcribendi Acta Sanctorum iamdiù à Ioanne Bollando eiuſdem Societatis incœptum anno ſcilicet 1643. ſedulò incumbunt.

Porrò Henſchenius & Papebrochius ad Tomum primum Aprilis in Diatriba præliminari ad Catalogos veteres Romanorum Pontificum, maxima cum ſolicitudine inquirunt Codices Acta Pontificum continentes, ab antiquiſſimis Scriptoribus tradita, fidendumque in hac parte Latinis potiùs, quàm Græcis Auctoribus proteſtantur, cùm illi Eccleſiæ Alumni propriùs dici poſſint.

Narrant præterea ſibi cùm Romam veniſſent anno 1660. & cum Viris eruditione præſtantibus conſultò de Geſtis Pontificum ſermonem inſtituerent, vt de eorum Auctore quid certiùs indagarent, apprimè laudatum fuiſſe librum, *Pontificale* appella-

tum;

tum, ex quo vitæ Pontificum editæ ſunt ab Aloyſio Lippomano Tomo V. Vitarum Sanctorum Patrum vſque ad Sanctum Felicem II. Et tempora Conſtantij Imperatoris, quæ & in Tomis Conciliorum ſaltem vſque ad Gregorium M. allegantur, continuanturque deinde ab Anaſtaſio Bibliothecario, & alijs, paſſimque in Annalibus laudantur.

Inter alios, quos colere, & familiariùs adire conſueuerant, fuit, vt ipſi teſtantur, Eruditiſſimus ac Clariſs. vir Lucas Holſtenius tunc temporis Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, qui, vt eorum literariam ſolicitudinem temperaret, vel promoueret, obtulit illi Catalogum Summorum Pontificum ex antiquiſſimis membranis Palatinis Vaticanæ Bibliothecæ deſcriptum, & vſque ad Stephanum III. ſiue ad tempora Pipini, & Caroli M. Regum Francorum deductum. Verùm hoc ſedulò fideliſſimèque tranſcripto; cùm in Regia Auguſtiſſimæ Chriſtinæ Reginæ Svecorum Bibliotheca verſarentur, alium ibi, & quidem peruetuſtum Catalogum reperierunt vſque ad Felicem IV. & ad tempora Iuſtiniani Imperatoris productum. Cùm itaque tertium quendam longè melioris notæ Catalogum haberent, ex Cæſarea Bibliotheca depromptum, qui ad initium Liberij Pontificis, & tempora Conſtantij Imperatoris deducitur; cenſuêre in editione illa menſis Aprilis primo loco Cæſa-

reum magno charactere exaratum proponere; ſecundò, quem ex Regia Bibliotheca deſumpſerant, ſed paruo Charactere conſpicuum: omiſſo Vaticano tanquam crebris erroribus, mendiſque ſcatente. Aſſerunt in hoc Tomo prædicti Scriptores Hiſtoríam eiſdem Catalogis contentam latiùs explicari in alijs Codicibus MSS. de vitis Pontificum vſque ad Stephanum III. & Pipinum & Carolum M. protenſis, quorum alterum fuiſſe exiſtimo, quem vidiſſe ſe narrat Labbeus in Damaſo, illumque vt optimæ notæ decantat; cenſetque Anaſtaſium tunc temporis, vel nondum natum, vel ad Summum ex infantia egreſſum fuiſſe. Haſce vitas ab Anaſtaſio Bibliothecario vſque ad Nicolaum I. continuatas, & à Guilielmo Bibliothecario vſque ad Martinum V. deductas autumant: docentque Codices MSS. pro titulo in fronte præſeferre *Geſta Pontificum*: quibus infraſcriptæ Damaſi, & Hieronymi Epiſtolæ præponuntur.

Hieronymi Presbyteri ad Damaſum
Papam Vrbis Romæ.

B*Eatiſſimo Papæ Damaſo Hieronymus. Gloriam Sanctitatis tuæ noſtra humilitas deprecatur, vt ſecundùm Apoſtolicæ Sedis authoritatem,*

quam

quam cognouimus per tuam Sanctitatem gubernari, actus Geſtorum à B. Petri Apoſtoli Principatu uſque ad veſtra tempora, quæ ſcilicet in Sede tua geſta ſunt, nobis per ordinem paucis enarrare digneris; quatenus noſtra humilitas ſentiens recognoſcat, quis meruerit de Epiſcopis ſupradictæ Sedis Martyrio coronari, vel ſi quis contra Canones Apoſtolorum exceſſiſſe cognoſcatur; ora pro nobis Beatiſſime Papa.

Damaſi Papæ.
Ad Hieronymum Presbyterum Damaſus Epiſcopus Vrbis Romæ Hieronymo Presbytero.

G*Audet Eccleſia tuo fonte iam ſatiata, & amplius ſitit curioſitas temporum Sacerdotalium, vt quod dignum eſt cognoſcatur, quod indignum reſpuatur. Veruntamen geſta Pontificum, quæ potuimus reperire in noſtræ Sedis ſtudio ad tuam Charitatem gaudenter direximus. Ora pro nobis ad S. Reſurrectionem Frater, & Compresbyter: vale in Chriſto Deo & Domino noſtro; Dat. X. Kal. Iunij, & accepta Kal. Octobris Miſſa de Roma Hieroſolymam.*

Porrò primum Catalogum bipartitum exponunt. Primam eius partem à S. Petro ad S. Vrbanum Pontificem & Martyrem Anno 230. productam Sancto Anthero Papæ adſcribendam eſſe

arbitrantur, cùm is geſta Martyrum ſumma cum ſedulitate exquiſierit, antequam ad Pontificatûs munus aſcenderet, eaque in Eccleſiæ Scrinijs condiderit. Secundam verò, quæ initium facit à Sancto Pontiano, S. Iulio Pontifici aſſeuerant, cui deinde ſucceſſit Liberius, eiuſque tempore vetus hic index ſeu Catalogus Romanorum Pontificum conſcriptus fuit, vt ipſi ſentiunt cum Dionyſio Petau. lib. 5. *Ration. temp.* cap. 5. quem apud ſe habuiſſe aiunt; mox hæc habent: *Poſt obitum Liberij conſtitutus eſt Pontifex S. Damaſus, qui rogatus à S. Hieronymo, Geſta Pontificum, quæ potuit reperire in ſuo Sedis ſtudio, ad eum direxit.* Quæ Damaſi verba arbitramur intelligenda de iam indicato Catalogo vſque ad Liberium eius Deceſſorem deducto. Notandum hìc eſt, præfatos viros Epiſtolas ſupra allatas Damaſi, & Hieronymi tanquam genuinas admittere. Sed de his plura nobis inferiùs dicenda, quùm de alio ipſorum Iudicio ſermo erit.

Ad ſecundum deinde Catalogum, ad Regium videlicet deſcendunt, eùmque conſcriptum volunt tempore Ioannis I. & Felicis III. ſiue vt alij malunt, IV. qui Annis 523. & 530. floruerunt. Concludunt denique priorem Catalogum neutiquam à S. Damaſo conſcriptum fuiſſe, ſed dumtaxat approbatum. Atque hoc eſt prædictorum viro-

virorum iudicium de Authore Vitarum Pontificum ín Tomo I. Menſis Aprilis in principio.

Sexta opinio eſt Cl. V. Petri Lambecij Cæſaris Hiſtoriographi & Bibliothecarij; is enim Anno 1669. ſecundum Librum Bibliothecæ Cæſareæ Vindocinenſis edidit, in quo pag. 924. citat Librum Pontificalem, ac ſuam profert opinionem, quam prout ipſe exarauit, exponimus.

Hiſtoria Pontificum Romanorum, *quæ vulgo quidem attribuitur* Anaſtaſio S. R. E. Bibliothecario, *in hoc autem & alijs quatuor* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codicibus MS. adſcribitur S. Damaſo Papæ; *nempe propter* duas *præfationis loco illi præfixas* Epiſtolas, *quarum exempla hîc exhibeo*.

Beatiſſimo Papæ Damaſo Hieronymus.

GLoriam &c. Sed iam nos has Epiſtolas paulo ſupra retulimus. Subdit poſtea Lambecius. *Propter has igitur* duas Epiſtolas, *quæ non ſolùm in iam memoratis* Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ, *verùm etiam aliarum Illuſtrium Bibliothecarum Codicibus quibuſdam MSS. Hiſtoriæ iſtæ de Vitis Pontificum Romanorum præfixæ ſunt*; Creditum à nonnullis eſt, omnium illarum vitarum, quæ eo opere continentur à S.

Petro *Apoſtolorum Principe vſque* ad S. Damaſum, *ipſum* S. Damaſum *eſſe auctorem. Sed reclamant alij obſtare auctoritatem* S. Hieronymi, *vtpote qui in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, omiſsâ hiſtoriæ iſtius mentione*, de S. Damaſo *nihil aliud ſcribit, quàm hoc* : Damaſus Romanæ Vrbis Epiſcopus, elegans in verſibus componendis ingenium habuit, multaque, & breuia opuſcula heroico metro edidit, & propè octogenarius ſub Theodoſio Principe mortuus eſt. *Huc etiam accedere aiunt, quòd non ſolùm* ſtylus *eiuſdem Hiſtoriæ, totaque forma, & ſeries orationis, tanquam inculta, rudis, & impolita, ab Epiſtolis alijsque monumentis* S. Damaſi *valde diſcrepet, verùm etiam Hiſtoria ipſa multis* Chronographicis erroribus, *& incertis ac à veritate alienis aſſertionibus refer-ta ſit. De qua celebri controuerſia etſi aliàs prolixiùs acturus ſim, paucis tamen hîc in anteceſſum indicabo, in quam inclinem ſententiam. Veriſimile nimirùm mihi videtur* primam *Hiſtoriæ iſtius de Vitis Pontificum Romanorum originem non tantùm* S. Damaſo *multò* eſſe *antiquiorem, verùm etiam indè* à prima Notariorum S. Sedis Apoſtolicæ per S. Papam Clementem I. inſtitutione *deriuandam & repetendam eſſe. Cùm enim horum* Notariorum *præcipuum munus fuerit* Geſta Sanctorum Martyrum *ſolicitè & curioſè per-*

qui-

quirere, & diligenter annotata in Eccleſia recondere, ſimul etiam tunc neceſſariò cœperunt ſcribi vitæ Romanorum Pontificum *inſtar ſimplicis alicuius Catalogi, quò compendioſè indicaretur cuiuſque Nomen, Patria, Pater, Tempus Pontificatûs, Ordinationes, Conſtitutiones, Obitus, ac Sepultura, & Ceſſatio Epiſcopatûs vſque ad ſucceſſionem noui Pontificis. Poſt libertatem autem Eccleſiæ Chriſtianæ*, ab Imp. Conſtantino Magno *promulgatam, vtì paulatim creuit Eccleſiæ Romanæ ſplendor & opulentia, ſic etiam* Catalogus *ille euaſit amplior & grandior, quoniam præter ſupra enumerata inſeri etiam illi cœperunt, quaſi cuidam* Rationario, *exſtructiones, inſtaurationes, & exornationes templorum, aliorumque locorum ſacrorum, vnà cum ſpeciali recenſione omnis Sacræ Suppellectilis, omniumque Donationum tam mobilium, quàm immobilium cum ſuis redditibus. Hic ergo* Catalogus, *qui, licèt diuerſis temporibus, & à diuerſis Auctoribus componeretur*, ordine *tamen*, & Stylo; *vt in aliarum ſolennium Tabularum continuatione plerumque fieri ſolet, vbique ſibi erat ſimilis, latuit reconditus* in Tabulario *ſiue* Archiuo Baſilicæ Vaticanæ S. Petri *Apoſtolorum Principis vſque ad Pontificatum* S. Damaſi. *A quo cùm* S. Hieronymus *per ſupra exhibitam* epiſtolam *petijſſet, vt acta Pontificum Romanorum* à S. Petro vſque *ad ſuam*

tem-

tempora ſibi enarraret, *curauit is antiquam iſtam hiſtoriam Pontificalem ex* tabulis Vaticanis *deſcribi*, & Româ mitti Hieroſolymam, *ideoque eam in reſponſo ſuo* ad S. Hieronymi *epiſtolam non appellat ſtudium ſuum*, *ſed Sedis Apoſtolicæ ſtudium*. *Sic enim reuera interpretanda ſunt hæc verba*: Tamen, quod geſtum eſt, quod potuimus reperire Noſtræ Sedis Studium, ad tuam Charitatem gaudentes direximus. *Ipſe igitur S. Damaſus non compoſuit hiſtoriam illam Pontificum Romanorum*, *ſed ſtudio Sanctæ* Sedis Apoſtolicæ inde à S. Clementis I. *temporibus ex diuerſorum annotationibus paulatim conflatam*, *publici tantùm fecit iuris*, *&* *cum S. Hieronymo communicauit*, *eamque ob rem haud mirum eſt*, *nullam eiuſdem Hiſtoriæ fieri mentionem á* S. Hieronymo *in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, *vbi agitur de* S. Damaſo; *vtpote cùm is eam non compoſuerit*. *Vtinam autem etiam nunc ſupereſſet*, *vel ſi alicubi adhuc latitat*, *reperiri poſſet* genuinum, & incorruptum *aliquod exemplar iſtius Hiſtoriæ*, *quale à* S. Damaſo ad S. Hieronymum *miſſum eſt?* *cùm enim hoc opus iam memorato modo euulgatum*, *promiſcuè cœpiſſet deſcribi*, *&* *verſari in manibus omnium*, *varijs modis illud partim negligentiâ*, *&* *inſcitiâ Librariorum*, *partim autem imperitâ ac temerariâ addendi*, *&* *detrahendi licentiâ deprauatum*, *&* *interpola-*

pola-

polatum eſt, vt etiam nunc ſatis manifeſtè cernitur. Ceterùm quod ad eiuſdem hiſtoriæ continuationem *poſt tempora* S. Damaſi attinet, ea quid paulatim *à diuerſis* S. R. E. Bibliothecarijs, *tanquam* Tabularij *ſeu* Archiui Vaticani Præfectis, *prout quiſque ſub vno vel pluribus Summis Pontificibus vixit, compoſita eſt, obſeruatâ tamen quantum fieri potuit ſimilitudine* ordinis, & ſtyli, *quibus antiquiores eiuſdem Scriptores ante* Sancti Damaſi *ætatem vſi fuerant. Celeberrimus autem omnium iam memoratorum Continuatorum* eſt Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius, *qui Sæculo poſt Chriſtum nono floruit ſub Papa* Nicolao I. Hadriano II. & Ioanne VIII. *Et ſecundùm Card. Baronij Chronologiam, vitam produxit vſque ad annum ferè* 886. *Quòd enim* ſolus Anaſtaſius *non ſit Auctor totius iſtius continuationis, ſatis patet ex antiquis illis Codicibus, qui ſine vlla controuerſia ante ipſius ætatem ſcripti ſunt. Cuiuſmodi fuit ille Codex, quem R. P.* Philippus Labbeus *in diſſertatione de Scriptoribus Eccleſiaſticis teſtatur ſe vidiſſe, tempore* Imp. Caroli Magni *exaratum, in quo Vitæ illæ Romanorum Pontificum* S. Damaſo Papæ *iam tum tribuebantur, antequam aut natus eſſet* Anaſtaſius, *aut ſaltem ex primæ infantiæ crepundijs emerſiſſet. Eiuſdem generis eſt etiam præſtantiſſimus ille, & collatu digniſſimus Codex manuſcriptus* Ambra-

ſianus, *de quo in præſens agitur*; *vtpote cùm tam ex Scriptura*, *quàm alijs circumſtantijs certò conſtet*, *eum ad* Imp. Ludouici Pij *tempora pertinere*. *Pertingit autem ibi* Hiſtoria Pontificum Romanorum *tantùm vſque* ad Papam Stephanum Secundum, *vel vt alij ſupputant*, Tertium, *qui A. C.* 752. *electus eſt*, *&* *A.* 757. *obijt vltima vitæ ipſius verba ſunt ibi hæc*: Et annuente Deo Rempublicam dilatans, & vniuerſam Dominicam plebem, videlicet rationabiles ſibi commiſſas oues, vt bonus Paſtor, animam ſuam ponens, omnes inſidias eruit inimicorum, curſumquè conſummans (interea renouauit in atrium ante fores B. Petri Apoſtoli, qui Quadriporticus dicitur; columnas marmoreas octo miræ pulchritudinis ſculptaſque deſuper quadris compoſuit, & æreum deſuper conlocauit tegumen: fecit autem, & iuxta Baſilicam B. Petri Apoſtoli, & ab alia parte B. Andreæ Apoſtoli, in loco qui Muſileus appellabatur, Baſilicam in honorem S. Petronillæ, quæ prædicto benigniſſimo Pipino Regi in Francia ſpoponderat, vt B. Petronillæ corpus ibidem conlocaret, vbi poſuit caniſtra argentea multa, & ornamenta alia pluraquè dedicauit:) & omnia vtiliter perficiens, Dei vocatione vitam finiens, ad æternam migrauit requiem. Qui fecit ordinationem per menſem Martium, Presbyteros II. Diaconos II. Epiſcopos

per

per diuerſa loca numero XV. (& dum in Francia eſſet poſitus; Rodigango Sanctiſſimo Epiſcopo Pallium tribuit, & Archiepiſcopum ordinauit). Qui etiam ſepultus eſt in Baſilica Beati Petri Apoſtolorum Principis V. Kal. Maij Indictione X. & ceſſauit Epiſcopatus menſem vnum dies V. Hucuſque hiſtoria illa de vitis Pontificum Romanorum, quæ in ſupra memorato Codice MS. Ambraſiano primum locum obtinet.

Coniecturam præallegatam Petri Lambecij, nempè quòd Vitæ Pontificum, quamuis diuerſis temporibus deſcriptæ, ſimilem tamen ſtylum præſeferre poſſint, optimè adſtruit Clariſſimus Vir Raphael Fabrettus in explicatione Fragmenti ſuæ inſcriptionis ad Fratrum Arualium Collegium pertinentis; vbi nedum formarum ſcribendi, ſed ipſius characteris identitatem per longum tempus retentam oſtendit in ſuis Inſcriptionibus dum hæc ſcribimus quantocitiùs in publicam Lucem è domeſtico Vrbini Muſæo prodeuntibus.

Septimam opinionem patrocinatur Clariſſimus Vir Emmanuel à Schelſtrate, qui in libro Antiquitatis Illuſtratæ Antuerpiæ edito Anno 1678. Cap. 2. Diſſertationis præuiæ, pluribus Succeſſorum Petri vſque ad Nicænum Concilium Chronotaxim expungit, qua occaſione ſupradictum primum Catalogum allegat, & præmemoratas Damaſi, &

Hieronymi Epiſtolas exhibet vnà cum notis Henſchenij & Papebrochij, ac deinde omnia ad trutinam reuocat, libratque. Negat primò prædictum Catalogum ab Anthero confectum, & à Damaſo approbatum, licèt omnium antiquiſſimum credat, quod ex eo, veluti fonte, omnes alij corriuentur. Secundò contendit Epiſtolas Damaſi, & Hieronymi, aliaſque de Pſalmodia à M. Mileſio Sarazanio publici Iuris factas, & ab Henſchenio ad probandam aliarum de geſtis Pontificum ingenuitatem adductas, ſubiacere cenſuræ Eraſmi, qui Anno 1516. Baſileæ prædictas Epiſtolas de Pſalmis publicauerat, cenſuræque tenorem ſupra Epiſtolam Damaſi ad Hieronymum refert, & is eſt: *Clarius eſt, quàm vt admoneri debeat, hanc Epiſtolam eiuſdem eſſe, cuius eſt ea, quæ proximè ſequitur, & eâdem febri laborantis. Deum Immortalem! quæ fuit imprudentia hoc tribuere Damaſo!* Item ſuper Epiſtolam Hieronymi ad Damaſum, quæ ſic habet: *Qui ſperauit futurum, vt hæc Epiſtola, quâ nihil potuit fingi inſulſius, nec indoctius, nec infantius, à quoquam pro Hieronymiana legeretur?* Has Eraſmi cenſuras prælaudatus D. Schelſtratus ſcribit confirmâſſe Labbeum tom. 2. Collect. maximæ in notis marginalibus ad duas Epiſtolas editas à Sarazanio, vbi ſic: *Suppoſititiæ, apocryphæ, & ineptiſſimæ Viris doctis*

doctis habentur, *tantumque à ſtylo Damaſi & Hieronymi diſtant*, *quantum Cœlum à terra*, *& polus Antarcticus ab Arctico*. Infert ex his Schelſtratus contra Henſchenium, Epiſtolas Damaſi, & Hieronymi, ducto ex ſimilitudine argumento, eâdem labe ſordere, & apocryphas prorsùs eſſe, ac aſſerit præfatum Henſchenium ambas Epiſtolas ijs aſſimilare, quas de Pſalterio edidit Sarazanius, propterea ipſe Schelſtratus eaſdem improbat ex inculta ſtyli ratione, vtpote quæ à Damaſiana ſcribendi methodo longè differat: ponderàtque fragmentum Epiſtolæ Damaſi, illud ſcilicet: *Gaudet Eccleſia tuo fonte iam ſatiata*, *& amplius ſitit curioſitas temporum Sacerdotalium*: deinde ſic: *Si dixiſſet: ſitit curioſitas Sacerdotum*, *ſenſus fuiſſet optimus*, *ſed ſitit curioſitas temporum Sacerdotalium nec ſenſum reddunt*, *nec Damaſo Papæ adſcribi poſſunt*, *cuius elegantiſſima ſcribendi methodus à ſimilibus impoſturis eſt longè aliena*, vt colligi poteſt ex eius Epiſtolis per Lucam Holſtenium publicatis in Romana hiſtoria bipartita parte I. Vrget præterea atque aſſerit, quòd adhuc datâ, & admiſsâ Epiſtolarum veritate, nequaquam ex eo conuincatur, Geſta Pontificum ad Damaſum pertinere, cùm antiquior Catalogus ipſi adſcriptus, ille dici non poſſit, quem ab ipſo Hieronymus expoſtulauit. Tum ſic: *At in priori quærit Hieronymus*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

nymus à Damaſo Papa actus Geſtorum à B. Petri Apoſtoli Principatu vſque ad ſua tempora, & quæ in Sede Apoſtolica geſta ſunt, per ordinem paucis enarrari, vt agnoſceret, quis meruerit de Epiſcopis ſupradictæ Sedis Martyrio Coronari. Vel ſi quis contra Canones Apoſtolorum exceſſiſſe cognoſcatur: *& ad hanc Hieronymi Epiſtolam reſcribit Damaſus.* Geſta Pontificum, quæ potuimus reperire in Noſtræ Sedis Studio ad tuam Charitatem gaudenter direximus: *quæ omnia clariſſimè indicant Catalogum Pontificum ab Hieronymo expoſtulatum, & à Damaſo tranſmiſſum continuiſſe* actus geſtorum, aut Geſta Pontificum, *in quibus eorum obitus & mortis genus breuiter adnectitur. Horum autem omnium nîl habet antiquus Catalogus. Vt nec prior pars S. Anthero adſcribi poſſit, qui traditur geſta Martyrum diligenter à Notarijs exquisijſſe & recondidiſſe in Eccleſia, nec poſterior pars Notarijs aut alijs à Damaſo adhibitis, cùm nec Geſtorum nomine ſecunda indiculi pars venire poſſit, nec Geſta Martyrum contineat, quæ vltra duorum Pontificum martyria non attingit, adeoque nec Catalogus eſſe poſſit, quem Magnus Hieronymus expoſtulauit, aut Damaſus ad Hieronymum tranſmiſit, ſed ſi Epiſtolarum auctoritas ſuſtinenda foret, alius de Romanis Pontificibus Catalogus deſiderandus eſſet, Vbi Pontificum geſta, & Martyria pleniùs exponuntur.* Poſtea varias, & quidem non inerudi-

ruditas cenſuras afferens, probat priorem Catalogum eſſe illum non poſſe, quem S. Hieronymo expoſtulanti tranſmiſit S. Damaſus.

Examinat indè poſteriorem Catalogum ex inclyta Bibliotheca Auguſtiſſimæ Reginæ Svecorum depromptum, aitque habere annos Pontificum in pleriſque à priori Catalogo valde diſcordes; vnde elicit, liquidò patere ab alio elucubratum. Addit inſuper Auctorem huius Catalogi Conſules à Petro vſque ad Liberium à priori Catalogo mutuaſſe; tum acta ex varijs antiquorum monumentis excerpta ſub eiſdem Imperatoribus, ſub quibus prior Catalogus ordinatus erat, ſtatuiſſe, errore etiam in nonnullis retento.

Denique ad tertium Catalogum, nempe Vaticanum, accedens, poſtquam plura congeſſit, ſententiam ſuam ſtatuit hiſce verbis: *Enim verò non ex duobus, ſed tribus hiſce Catalogis Vitas Pontificum conſarcinauit Anaſtaſius Bibliothecarius, qui ex primo Catalogo poſuit Conſules vſque ad Liberium Papam, vitio tamen Exſcriptorum, in pleriſque mutatos, ex Secundo Catalogo mutuauit acta Pontificum à Petro vſque ad Felicem IV. omittens cum ſecundo Catalogo Conſules poſt Liberium, & cum eodem illos ponens in vita Ioannis I. & Felicis IV. cuius tempore Auctorem ſecundi Catalogi floruiſſe diximus; ex tertio autem Catalogo ſumpſit annos Pon-*

Pontificum, quos vnicè ex illo vitis ſingulorum præpoſuit. Vt patebit conſideranti. Et ex hiſce paucis mutatis, & additis Pontificale, quod ſub nomine Damaſi circumfertur, edidit quondam Anaſtaſius Bibliothecarius. Hactenus Schelſtratus: atque hoc ipſius de hac controuerſia iudicium. Poſtmodum ijdem Clariſſimi Viri Henſchenius & Papebrochius præſenti nempe Anno 1686. ediderunt Propylæum ad acta Sanctorum Menſis Maij, quod Conatum Hiſtoricum ad Catalogum Pontificum denominârunt: cùmque Henſchenius editionis tempore è viuis migrâſſet, Papebrochius ſuperſtes eique adiuncti eruditi Viri eiuſdem Societatis IESV Franciſcus Baertius, & Conradus Ianingus Amicus noſter in prologo de vetuſtioribus Catalogis MSS. rurſus ſupradictorum trium Catalogorum hiſtoriam in Menſe Aprilis excuſſam enunciant, eamque altiùs examinant.

Scrutantes primi Catalogi Auctores, plures illum in partes diuidunt, primamque terminant cum S. Vrbano Pontifice Anno 230. Martyrium paſſo. In hac nullos Conſules bis repeti oſtendunt, quamuis ſub ijſdem, quibus ſedere cœperunt, quidam Pontifices vitâ functi, & Martyrio coronati fuerint. Eius partis iterum, vt ſupra diximus, ſi non Scriptorem, ſcribendæ certè Auctorem ſtatui poſſe cenſent S. Antherum Papam, quem

quem Geſta Martyrum diligenter à Notarijs exquiſiuiſſe, ac in Eccleſia recondidiſſe notant.

Secundam partem à S. Pontiano conſtituunt, in qua maiora paſſim Pontificum elogia haberi, eoſdem Conſules repeti, dieſque ordinationis, & mortis Pontificum recenſeri obſeruant. Huius partis quatuor ſucceſſiuè Auctores fuiſſe conijciunt ex ſtyli diuerſitate noſcendos: quorum primus, vt ij tradunt, hanc partem vſque ad Sanctum Felicem produxit; Secundus tres tantùm huius Succeſſores adiecit. Quartus à Melchiade vſque ad Liberij primordia eoſdem protulit. De tertio ne verbum quidem. Quibus præmiſſis, aiunt veterem hunc Indiculum Romanorum Pontificum Liberij Papæ tempore fuiſſe contextum. Citantque iterum Dionyſium Petau. Lib. 5. Ration. Temp. Cap. 5. deinde plura loquuti de Damaſo, Epiſtolam eius vnà cum Epiſtola Hieronymi, Geſta Pontificum expoſtulantis, ad trutinam ſeueriorem adducunt, recedentes ab eo quod iam dixerant, his verbis: *Frequens communio literarum, & librorum inter hunc & Hieronymum faciebat. non omninò incredibile videri hunc ipſum antiquiorem Catalogum petitum ab Hieronymo, eique à Damaſo miſſum fuiſſe, ſed quæ ad hoc probandum proferuntur Epiſtolæ, decurrunt ſtylo tam hiulco, & inculto, vt iam pridem Viri aliqui eruditi, & nuper*

D *Cla-*

Clariſſimus Schelſtratus in primo ſuæ Illuſtratæ Antiquitatis conatu, vtramque cenſuerit auctoribus tam cultis, quales ambo iſti Sancti fuerunt, non conuenire, & ipſi etiam quod à Damaſo Hieronymus requiſiuiſſe ſupponitur argumento minus quadrare, nec verò ante huius vetuſtiſſimi Catalogi exemplaria eas Epiſtolas reperit Henſchenius, ſed ante poſteriorem Catalogum, qui vſque ad Felicem IV. pertingit, & non vno loco deprehenditur interpolatus, nullam etiam earum rationem habendam putauit M. Mileſius Sarazanius I. C. Romanus, Vitam & opera S. Damaſi Papæ à ſe collecta edens Anno 1638. licèt præ oculis haberet, proferretque alias, quibus Damaſus ab Hieronymo petit pſalterium Græcæ fidei reddendum, & hic eidem quod petierat mittit. Illas igitur ſatis eſt in Aprili legi, vnde eas iam mallemus expunctas.

Hactenus Papebrochius, & Collegæ, è quibus quis apertiſſimè non agnoſcat recedere, ac diuerſum omninò ſentire ab ijs, quæ in ſupra relato tomo Aprilis cum Henſchenio cenſuerant? ibi enim Epiſtolas Damaſi, & Hieronymi non modò non improbat, verùm etiam illarum ingenuitatem ſuadere, & adſtruere nititur, argumento deſumpto ex Epiſtolis Sarazanij perſimilibus, quas ibi adducit, approbatque, & hìc confirmat. Neſcio tamen quo pacto, quaue ratione, illas de geſtis Pontificum Epi-

Epiſtolas impugnat tanquam apocryphas, *& has de Pſalterio recipiat*, cùm planè ſimillimam phraſim redoleant, vt ipſe iam in menſe Aprili indicauit: debuiſſet profectò nunc & eas de Pſalterio improbare, ac plenè D. Schelſtratio deferre, qui illas ex cenſura Eraſmi, & Labbei acerrimè inculcat; aſſeritque Henſchenium Eraſmi cenſuram fugere. Tum ex eo pergit arguere, quòd Epiſtolæ Damaſi, & Hieronymi eodem ſuppoſitionis vitio laborent: *Adeoque* (inquit) *nec iuuari poſſint aliæ duæ Epiſtolæ nunc primùm publicatæ, quæ dum fatente Henſchenio, à Mileſio editis planè ſimiles exiſtunt, & ſimilis ſuppoſitionis indicia non obſcurè præſeferunt*. Itaque Papebrochius ſentiens cum Schelſtratio quoad Damaſi, & Hieronymi de Geſtis Pontificum Epiſtolas, deberet vtique eodem argumento vti contra Epiſtolas de Pſalterio, quas cùm ſimiles faciat in Aprili, eâdem ſuppoſitionis, & falſitatis labe coinquinatas deprehendi conſtat. Sed iam ad octauam opinionem pergamus.

Porrò opinionis iſtius Auctor eſt Florauantes Martinellus, Vir multæ eruditionis, qui in Bibliotheca Vaticana pluribus annis Scriptoris munere functus eſt. Is namque in ſua Roma ex Ethnica Sacra pag. mihi 409. ſecundæ editionis, fuſiùs quàm cæteri, hanc diſſertationem expendit, aſſeritque, librum iſtum, qui retroactis ſæculis circumferebatur

continebatque MSS. Pontificum vitas, aliquos Pontificale, pleroſque Damaſum Papam, plures Petrum Guilielmum Bibliothecarium, alios Pandulphum Piſanum, nullos vel paucos Anaſtaſium Bibliothecarium appellâſſe. Poſtea ſubdit Anno 1602. Moguntiæ impreſſum prodijſſe cum Anaſtaſij titulo ex exemplari, quod tranſcribi curauerat M. Vvelſerus Auguſtanæ Reipublicæ Duum-vir.

Verùm quia huius libri controuerſus eſt Auctor, imò ex eo quòd multi iſtiuſmodi Libri Auctorem Anaſtaſium non eſſe arbitrentur, non nullis rationibus, & coniecturis tam alta è caligine veritatem educere, & luci ſuæ reſtituere conatur.

Prima ratio, quæ pro Anaſtaſio adducitur, deſumpta eſt ex præfatione ad ipſum Librum Anaſtaſij, vbi redditur cauſa, cur huiuſmodi Liber Anaſtaſij titulo fuerit inſignitus; quia videlicet *Stylus, totaque ſcribendi ratio, ordo, & methodus earum Vitarum, quæ poſt B. Damaſi vitam in hoc Codice extant, omninò conſentire videtur cum phraſi, vniuerſâque ſcribendi ratione, quæ eſt in Vitis prioribus, Damaſo hactenus inſcriptis.* Allatis obſeruationibus opponit idem Martinellus, nullibi probari à Vvelſero ſtylum præcedentem, & ſubſequentem Damaſi vitam fuiſſe Anaſtaſij.

Notandum verò hìc eſt, Martinellum perperam exiſtimâſſe Anaſtaſium à M. Vvelſero typis mandatum

datum fuiſſe, cùm illum Ioannes Ruſſeus Nouiomagenſis è Societate Ieſu imprimi curauerit, vt ſupra fusè demonſtrauimus.

Secundam rationem ad probandum prædictum Codicem malè tribui Anaſtaſio Martinellus eâdem præfatione deducit, vbi eius libri exemplar tranſcriptum dicitur à Vvelſero ex Codice Vaticano: additurque hoc idem tradere Cardinalem Baronium Bibliothecarium Anno 303. num. 125. Ipſeque Martinellus eundem Codicem in Bibliotheca Vaticana ſignatum num. 3764. ſe vidiſſe teſtatur, in quo, vt in alijs ibidem exiſtentibus, nulla aderat mentio Anaſtaſij, ſed ſolummodo Damaſi Epiſtola ad Hieronymum præmittebatur: Subditque recenſeri hanc Epiſtolam à S. Iſidoro inter Canones Apoſtolorum; ex qua nemini dubium habendum arguit, Damaſum Auctorem fuiſſe, atque adeo Vvelſerum non debuiſſe Vaticani Codicis fide diuerſum Auctorem præſtare, vel hunc aliorum Codicum auctoritate, dubijſque rationibus confirmare; etiamſi ſpuria ab aliquibus ipſa Epiſtola exiſtimetur.

Tertia, qua vtitur, ratio tota eſt in adducendis pluribus Scriptoribus, qui Damaſum Vitarum Pontificum Auctorem faciunt, ac vltra Trithemium, Platinam, Panuinium, & Landulphum de Columna ſuperiùs relatos, addit Blond. in Lib. I. Romæ inſtau-

inſtauratæ cap. 41. vbi ſic: *Non leue teſtimonium habet vita B. Petri Apoſtolorum Principis à B. Hieronymo Presbytero, vt titulus præf.rt, ſiue vt aliqui volunt à Damaſo Papa ſcripta.*

Huc enim Hiſpanicæ Bibliothecæ elogium affert, Pontificum Vitas vſque ad ſua tempora Damaſo attribuens, addit inſuper auctoritatem Anonymi de Benuoglientis, qui Pij II. Pontificatui ſynchronus de Senarum Vrbis eiuſque Epiſcopatûs antiquitate ſcripſit; vbi ait: *Librum ſcriptum de Vitis Pontificum, qui & in Vaticana, & in nonnullis priuatorum Bibliothecis extat, Anaſtasij non eſſe, multis, iiſque validis argumentis compertum habeo, multique ſtudioſi fuere, qui freti verbis Onuphrij Panuinij Viri alioquin doctiſſimi, librum illum ſe in Vaticana annis proximè elapſis legiſſe affirmantes, magna hilaritate eò tendentes ſpe ſua fruſtrati fuerunt.* Cogor autem hìc redarguere incuriam, turpemque lapſum Martinelli, qui citans Anonymum de Benuoglientis, eum Pio II. ſynchronum extitiſſe ait, poſtea verò fragmentum eiuſdem refert, in quo mentio habetur Honuphrij Panuinij, qui penè ſæculo Pio II. poſterior fuit. Præterea qua fide, quo teſte fragmentum illud cuidam de Benuoglientis adiudicet, neſcio: cùm Auctoris nomen omninò lateat, imò alterius eſſe conſtans opinio ſit, Senis præcipuè, vt mihi ſolicitè de hoc vndequaque

quæ-

quærenti teſtatus eſt Vir æquè doctus, ac nobilis Pyrrhus M. de Gabriellis, qui verba præallata legiſſe ſe ait in quodam libello prorſus Anonymo Senis impreſſo ſub Anno 1572. pag. 44. in nonnullis priuatis Bibliothecis extante, eumque attribui Cæſari Orlando Senenſi, quem Anno 1571. Romæ Procuratorem fuiſſe ob negotia Capituli Eccleſiæ Metropolitanæ Senenſis ex publico inſtrumento perſpicuum eſt. Quapropter huiuſmodi anachroniſmum, lapſumque ſilentio prætereundum non eſſe arbitrati ſumus, ne eâdem incuriæ notâ, qua Martinellum afficimus, nos à Lectoribus inuramur. Sed hæc obiter. Poſtremo Martinellus Paganini Gaudentij auctoritatem expendit in Diſſert. De Euangelio S. Marci, qui à Damaſo Papa Vitas Pontificum recognoſcit.

Quarto loco, cum Vvelſerus ideo priores Vitas Damaſo tribuendas non eſſe opinetur, quia ex ſtylo prorsùs incultæ, & inelegantes ſunt, Damaſus verò & ſoluta oratione elegantiſſimus ſit, & in texendis carminibus excellens: retorquet Martinellus in Anaſtaſij fautores argumentum, præcipuè cùm non vulgaris notæ Scriptores eundem in Diuinis Scripturis eruditum, & in Sæcularibus literis nobiliter doctum, Græcâque & Latinâ linguâ ſpectabilem eſſe teſtati fuerint.

Opponit quintò contra Anaſtaſium, quòd cùm

faten-

fatente Vvelſero, alijſque, prædictum opus multa continear à veritate aberrantia, integriſque ac validis teſtimonijs deſtituta, præterea multi ſint chronographici lapſus, & pleraque ſecum pugnent; ex ijs omnibus infert Codicem hunc ab Anaſtaſij integritate nimium abeſſe: quem *Solertiſſimum* ad Annum 843. num. 32. & ad Annum 844. num. 11. *Candidiſſimum* Scriptorem vocat Baronius.

Sextam rationem deducit à Ioanne Tortelio in ſua Orthographia, vbi de Eccleſijs, alijſque Vrbis locis è Libro Pontificali excerptis plura referens; nullibi Anaſtaſij, ſed Damaſi, Petri Bibliothecarij, & Pandulphi Oſtiarij Lateranenſis vnicè meminit.

Septimò tradit à Matthæo Syluagio inter ſua Colloquia edita Venetijs Anno 1542. vbi pluries de Geſtis Summorum Pontificum agit, Petrum Lateranenſis Eccleſiæ Bibliothecarium Auctorem vocari. Subditque pag. 313. *ſiue ille Scriptor B. Hieronymus ſiue B. Damaſus Papa fuit. Et inferiùs pag. 325. Pandulphus autem Lateranenſis Eccleſiæ Oſtiarius, quod Petrus omiſerat Bibliothecarius habet.*

Octauam rationem eruit ex eo quòd opinio Tortelij, & Syluagij probari dicatur ex vetuſto manuſcripto dictarum Vitarum, notato in Bibliotheca Vati-

Vaticana num 3762. de quo ſupra. In eo enim ſub vita Stephani II. grandioribus, ac rubris literis conſpicuus habetur hic Titulus: *Petrus Guilielmus Bibliothecarius. Apud Accium dum ibi moraretur anno Dominicæ Incarnationis* 1142. Vnde innui certò tenet, eundem Petrum Guilielmum vel Auctorem totius operis extitiſſe; vel Vitarum quæ ſequuntur à Damaſo vſque ad Gelaſium II. Compilatorem ſeu Correctorem.

Nonò ſuſpicatur magìs quàm aſſerit, Anaſtaſium ab eo diuerſum eſſe, qui Vitas Pontificum ſcripſiſſe dicitur, de quo in tertia opinione iam diximus.

Inſtat decimò, vrgetque, eò quòd phraſis Vitæ Nicolai I. quam Vvelſerus abſque controuerſia tribuit Anaſtaſio, contradicere omninò videtur cum ea, quæ ſequitur in Hadriano II. Guilielmo Bibliothecario attributâ. Ideoque cum vtraque haud multum ab antecedentibus Vitis ferè vſque ad Damaſum diſcrepet; vltimum ex eo certumque Pontificalis Libri Auctorem præfatum Guilielmum, non autem Anaſtaſium fuiſſe arbitratur.

Tandem allegat Petrum Halloix in annot. ad cap. 15. defenſionis Origenianæ, dicens, tantùm abeſſe, vt idem Petrus Anaſtaſio hoc opus tribuat, vt quinimò Deformatorem, ac fœdarum hallucinationum Collectorem appellet, quod non niſi temerè de integerrimi Auctoris candore dici poſſet.

Hæ ſunt Auctorum omnium opiniones, rationeſque, quas contra Anaſtaſium congerit Martinellus: eaſque vberrimo calamo expungit, ac nulli in ſtatuendo Codicis Auctore ſubſcribit: en eius verba: *Quis igitur erit huius Pontificalis Libri Auctor? perpendendo verba Epiſtolæ Damaſi*, Geſta Pontificum, quæ potuimus reperire noſtræ Sedis ſtudio, *credendum eſt, opus, Damaſi iuſſione, fuiſſe conſarcinatum ex traditionibus, & Scripturis Archiui, Cancellariæ, vel Bibliothecæ Apoſtolicæ per eiuſdem Sedis Miniſtros, qui Damaſi nomen operi indiderunt: ſic Bullæ à Pontificibus auctoribus, non à Datario compilatore nomen accipiunt. Item Pontificalis liber appellatur, quia Geſta Pontificum æternitati committit; ſic Martyrologium à Martyrum actis. Poſtea aſſeruatum in eiſdem locis ab eius Miniſtris continuatum fuit, tum cum in commune haberi cœptum, facilè fuit ſub Miniſtris, & Amanuenſibus, inſcitiâ, vel malitiâ, illud deturpare; tribuuntur enim Pontificibus Damaſi prædeceſſoribus multa commenta, vt obſeruauit Doctiſſimus Holſtenius; quæ quadringentis demum annis poſt Damaſum conficta fuere. Cumque lis ſit circa Auctoris perſonam, abſque controuerſia Miniſtrum Sedis Apoſtolicæ, certum eſt ante Damaſum ignorari compilatorem; & poſt Damaſum, nullum præter dictos Petrum Guilielmum Bibliothecarium, & Pandulphum Lateranenſem Oſtiarum bis*

Pon-

Pontificijs rebus geſtis operam nauâſſe, qui aliqua ex Anaſtaſij hiſtoria Eccleſiaſtica forſan deprompſerunt. Phraſim opus habet incultam, rudem, & impolitam, licèt vniformem, quia Cancellaria, Dataria, & ſimiles Officinæ S. R. E. habent certam formulam & phraſim, licèt incultam, qua Officiales, & Miniſtri, alius alio purior, & luculenter vtuntur, vt cuique Romanam Curiam ſequenti notiſſimum eſt. Poſtremò non quærimus an Anaſtaſius Bibliothecarius ſcripſerit Vitas Pontificum ſed inquirimus identitatem Codicis Autographi, cùm Liber editus à M. Vvelſero abhorreat ab Anaſtaſij ſtylo ex ſupradictis. Qua de re ſic tandem concludit: *Cæterùm de Libri Auctoritate & fide hæc ſcripſit Paganinus Gaudentius ſupra citatus: Sed ſi non habeat Damaſum Scriptorem an propterea nullius erit Auctoritatis & fidei? At clam non eſt librum illum eſſe antiquum, & non contemnendæ notæ, cùm Bibliothecarius totum præpoſuerit, præfixeritque luculento operi de Vitis Pontificum, quod beneficio Vvelſeri hodie in manibus eruditorum verſatur. Quàm verò temerè neſcio quis dixit, omnes Scriptores cum de Pontificali libro Damaſi loquuntur, dicere,* fertur Damaſus ſcripſiſſe, *non ſic loquitur Bellarminus iam adductus, non ſic qui collegit tomos Conciliorum, non ita alij.* Etſi verò ſatis clara ſit Martinelli ſententia, nihilominus eam ſummatim aliqua perpendentes iterum referemus.

Primo loco Librum, qui ſub *Pontificalis* titulo circumfertur, ex tribus ſupra relatis Catalogis confectus, iuſſione Damaſi ſcriptum fuiſſe opinatur, atque ideo ipſius nomen Libro præfixum exemplo Bullarum, quæ à Pontificibus Auctoribus non à Datario Compilatore nomen accipiunt: quod tamen perperam tradit, cum Datarius Bullas non compilet, ſed Abbreuiatores de Parco maiori, & Proſummator Literarum Apoſtolicarum, quæ duo munera multis iam ego ab annis exerceo.

Secundo Librum Pontificalis Amanuenſium inſcitiâ, vel malitiâ corruptum, ac deturpatum fuiſſe, cùm multa commenta, vt obſeruauit Holſtenius quadringentis annis poſt Damaſum confecta fuerint. Porrò hìc ego loqui Martinellum putarem de tertio Catalogo, videlicet de Vaticano, quem ab Henſchenio, & Papebrochio reiectum, omiſſumque vt mendoſum, retulit Schelſtratius. Quod ſi res ita ſe habet, quænam iſta multa commenta ſunt, cùm apud Schelſtratium eundem videri poſſit? qua propter ſuſpicor valdè confundi à Martinello Librum Pontificalem, cum integra hiſtoria Romanorum Pontificum.

Tertiò aſſerit poſt Damaſum Compilatores Vitarum Pontificum fuiſſe Petrum Guilielmum Bibliothecarium, ac Pandulphum Oſtiarium Lateranenſem. Quod an ſufficienter ab ipſo probetur, necne Lector dijudicet. Quar-

Quarto Hiſtoriam hanc phraſim habere incultam, rudem, & impolitam, licèt vniformem. Id autem quàm immeritò aſſeueretur, ex his, quæ in pluribus Vitis Pontificum infra dicenda ſunt, liquidò demonſtrabitur.

Quinto denique ſe non inquirere proteſtatur an Anaſtaſius Pontificum Vitas ſcripſerit, ſed Autographi Codicis indentitatem, cùm Liber editus à Marco Vvelſero ab Anaſtaſij ſtylo nimis abhorreat. Concludit inde cum Paganino Gaudentio, licèt hic Liber non habuerit Scriptorem Damaſum, eius tamen fidei neutiquam derogandum eſſe, cùm non contemnendam antiquitatis notam præſeferat, eundemque Bibliothecarius præpoſuerit operi de Vitis Pontificum, quod Beneficio Vvelſeri in manibus eruditorum verſatur. Verùm in iſtiuſmodi conclnſione, quis perturbatam erroneamque Scriptoris huiuſce mentem non videat: cùm, vt ſupra innuimus, integram Rom: Pontificum ſeriem, hiſtoriamque Anaſtaſio attributam confundat cum Libro Pontificali, qui tantum priores Vitas per tria ſæcula ad Damaſum vſque complectitur?

SE-

SECTIO SECVNDA

Quid obſeruandum, vt certior de ſtylo cenſura proferri poſſit.

ANTEQVAM huius noſtræ aſſertionis momenta expendamus, aliqua de ſtylo eiuſque collatione ſunt prælibanda, præcipua quippe huius controuerſiæ ratio præter Auctoritates, in comparando ſtylo ſita videtur, cùm ij, qui iam dicti Codicis Anctorem Damaſum vel Anaſtaſium fuiſſe negant, id ex diuerſitate ſtyli conijciant, hunc ipſum cum cæteris eorundem Scriptorum operibus conferentes. Verùm cùm aliquis & inueſtigare, & conferre ſtylum conſtituit, arduum ſanè, ac non vulgaris ingenij opus aggreditur: nam ad hoc via difficillima eſt, cæteriſque periculoſior, atque eò magìs fallax, ac lubrica, quo generalior cenſura, iudiciùmpue profertur. Quapropter hìc obiter ad ſtyli varietatem, ſimilitudinemque ſecuriùs attingendam, ac certiùs dijudicandam, aliqua nobis tradere decretum eſt, diuerſa tamen ab eis, quæ ſcripſit Gaſpar Sciop-

pus

pus de Arte Critica, & Franciſcus Robortellus de arte, ſiue ratione corrigendi libros antiquos.

Enimuerò tria præcipuè intendenda, ac ſtyli cuiuſlibet collatione maturiùs animaduertenda ſunt. Primò ſcribentis ætas inſpicienda eſt, vtrum ſcilicet opus quod confertur, adoleſcens elucubrârit an vir, iunior an ſenior. Scriptor cùm iuuenis eſt, floſculis lepidiſque ornatibus indulgentior omnem propemodum orationem variegabit, ac multo acumine, ſalibuſque conſperget, decet namque exultantiùs loqui iuuenilem ſermonem, vt ait Plinius; grandæuus autem priora faſtidiens, grauiori, & virili ſanè ſcribendi methodo eminebit. Primo loco exemplum ſit nobis temporibus noſtris Torquatus Taſſus Poëta Italicus, qui Thuſco Idiomate Poëma compoſuit, quod inſcripſit: *Il Goffredo, ouero la Geruſalemme Liberata.* Is enim cùm adhuc ætate floreret hoc opus exarauit, creſcentibus verò annis illud ad trutinam reuocans, multà expunxit, multaque addidit, ac immutauit; verùm poëſeos amantes magìs quidem primum, quàm ſecundum opus probant, tanquam floridius. Hoc tamen in Poëſi contingere ſolet, quia illi potius annorum feruor, quàm iudicij maturitas contribuere videtur. In ſecundo verò caſu vbi firmum ac graue iudicium requiritur, aliud nobis ſuggerit exemplum Diuus Hieronymus, cui iam ſenio confecto

ſubli-

ſublimiora rimanti, adeò humilia viſa ſunt opera, quæ iunior elucubrârat, vt illa omninò ſpreta recuderit. Et equidem cùm aliquando iam ſenex audiuiſſet, Commentarium in Abdiam Prophetam, quod adoleſcens confecerat, & obliuioni iam datum credebat, per manus hominum in Italia circumferri, obſtupefactus erubuit, & aliud elucubrauit ad cuius finem hæc ait: *In hoc Propheta & adoleſcentes luſimus, & ſenes præſumpſimus.*

Præterea dum ſtyli collationes inſtituuntur, ſcriptionis materiam priùs cognoſcere, ac bene perpendere oportet, videlicet an Hiſtorica ſit, Oratoria, aut Epica, ſiue Epiſtolaris, vel etiam alterius generis. Secundò, ſi Epiſtolaris materia ſit, quodnam genus Epiſtolarum redoleat. Tertiò ipſum idioma, Latinum præcipuè, an cultum, vel rude, aut barbarum ſit. Quarto, phraſis an concinna, aut incondita, & præpoſtera; an ornata vel ſimplex, an prolixa, ſiue Laconica videatur.

Porrò materies comparanda, ſi Hiſtorica ſit, Oratoria, vel Epica, cum alijs eiuſdem ſpeciei operibus conferri neceſſe eſt. Hiſtorica ſcilicet cum Hiſtorica, Oratoria cum Oratoria, Epiſtolaris cum Epiſtolari: ſi enim huiuſmodi generis elucubrationes alicuius ſcriptoris cum alijs eiuſdem, ſed diuerſæ ſpeciei quis comparet, maximam ſanè diſtantiam vnius ab altero ſtylo concipit, vt videre

eſt

eſt in Ciceronis Orationibus, ac Epiſtolis. Perperam igitur arguet à diuerſitate ſtyli Auctoris diuerſitatem. Siquidem vt collatio rectè procedat, à ſimili ad ſimile inſtituenda eſt, vt ex characterum collationibus quiſque ſimilitudinariè capere poſſet, in quibus ſi quis characterem v. g. rotundum cum curſiuo, vt aiunt, conferret, quam incongruè & ineptè id efficeret, nemo eſt, qui non videat.

Si autem quæ confertur materies Epiſtolaris ſit, quàm cautè ſolicitèque ſcrutari opus eſt. Adeo enim multa ſunt, quæ in huiuſmodi collationibus ingens æquiuocum pariunt, vt vllam plerumque de Auctore certitudinem attingere minimè valeamus. Hoc verò eâ de cauſa ſolet accidere, quia innumera propemodum ſunt, quæ in Epiſtolis tractantur. Recta autem ſcribendi Epiſtolas norma poſcit, quòd ſecundùm materiei qualitatem, forma ſtyli mutari debeat, qui tamen ſemper facilis & apertus, non autem putidus & perturbatus eſſe debet; cum ſtylus Epiſtolaris aliud non ſit, niſi colloquium, quod conſideratè cum illo habetur, cui de quo agitur negotium ſcribitur.

Immò ſi eodem tempore idem negotium diuerſis perſonis diuerſi gradûs ſcribatur, diuerſo ſtylo vti neceſſe eſt. Exemplum ſit, ſi quis aliquo munere donatus eſſet, idque alicui Principi vellet ſi-

gnificare, diuerſum certè ſtylum ſeruare deberet in huiuſmodi concinnanda Epiſtola, quàm in illa ad fidum amicum ſcribenda.

Arduum quoque, maximiſque plenum difficultatibus negotium agemus, ſi in Principum, & Magnatum Epiſtolis conferendis verſemur: id autem ideo euenire neceſſe eſt, quia Principes & Magnates, ac cæteri Viri ſiue Eccleſiaſticâ, ſiue Seculari dignitate conſpicui per interpoſitas perſonas ſcribunt, quas à Secretis ſiue ab Epiſtolis appellamus. Munus eorum eſt Literas exarare, quæ Dominorum nomine circumferuntur, & vim, auctoritatemque perinde habent, acſi ab ipſis immediatè conſcriptæ forent. Literis hiſce codices paſſim referti ſunt, vbi Regum & Principum miſſiuæ Epiſtolæ continentur, quæ tametſi proprio ſtylo ab eiſdem confectæ non ſint, minimè tamen id officit, quin & illis attribuantur: cum huiuſcemodi ſtyli diuerſitas ex Miniſtrorum diuerſitate prouenire valeat, quia ſub eodem, aut varijs temporibus Epiſtolas concinnârunt, ſiue concinnandis operam dederunt. Vnde nequaquam ille ferendus eſſet, qui ex eo quod aliqua Epiſtola, proprio ſtylo alicuius Regis conſcripta non fuerit, eam reijceret vt apocrypham, & ad ipſum Regem vllatenus pertinere negaret.

Cum huiuſcemodi conſiderationum ſeueritate in ferenda ſententia procedendum eſt, quando dubitatur

tur an aliqua Epiſtola nouiter,ac recens reperta certi Auctoris ſit nec ne, quoniam in ſtylo dignoſcendo, illud accidiſſe ſolet, quod in picturis, ad quas diſcernendas multum quidem experientia conducit, cùm ille qui ſcribit, ac qui pignit, quid peculiare habeat, quod faciliùs longo vſu, quàm arte dignoſcitur.

Sermo quoque & idioma præſertim Latinum an purum ſit, aut barbarum, an cultum vel humile in ſtyli collatione ſummopere rimandum eſt, vt innuimus ad notata per Gerard. Ioan. Voſſium in ſuo tractatu de vitijs Latini Sermonis,quàm enim difficilis ac fallax cenſura ſit, quæ ex Latinis dictionibus erui debet, oſtendit Olaus Borrichius in ſuis Cogitationibus de varijs Linguæ Latinæ ætatibus vbi euincit, nonnullas dictiones à Voſio damnatas, partim vitio prorſus carere, partim verò antiquiores longè eſſe, quàm Voſius credidit. Multa quoque de vitijs Linguæ Latinæ congeſſit Du Cange, in præfatione ſui magni Gloſſarij mediæ ac infimæ Latinitatis, ac præſertim num. 25. quo loci aſſerit Religionem Chriſtianam in Romanum ac Latinum orbem propagatam noua vocabula introduxiſſe; ex quibus quàm cautè in collatione ſtyli procedendum ſit, quiſque viderit.

His obſeruatis, prætermittenda, non eſt, vt iam diximus,phraſeos animaduerſio; num ſcilicet prolixa

 ſit,

ſit, aut Laconica: mollis aut aſpera: incompta, vel cincinnata? atque ita qui ſtylum comparat, ſanum, certumque, aut ſaltem valdè probabile iudicium profert; ſecus verò fallax, erroneum, ac ipſi ſibi nil conſtans.

Graui hac, immò fortaſſe maiori animaduerſione procedendum eſt, quando ab vno Auctore, opus iam à longa annorum ſerie illi attributum, auferendum eſt, quoniam eidem tot præcedentium ſæculorum, & temporum plenius edoctorum, vtpote viciniorum, iudicium fauet. Nec ſatis eſt ſtylus in apparentia, immò in ſubſtantia diuerſus; ſed validæ requiruntur probationes, vtpote ſolœciſmi, qui Amanuenſium errori tribui minimè poſſunt; doctrinæ error, aut mentis ſenſuum ineptia, denique argumenta, quæ tot hominum, qui præceſſerunt opinionibus præponderent. Abſque his rationibus ſimiles materiæ decidendæ non ſunt. Namque infirmo hoc inæqualis ſtyli fundamine, innumera tam Sacrorum, quam Profanorum Scriptorum opera, in dubium reuocari poſſent, qua quidem re grauium malorum ſemina in Eccleſiaſtica, ac Literaria Republica ſpargerentur. Sed his præmiſſis, iam tandem ad Codicis Anaſtaſiani comparationem accedamus.

SECTIO TERTIA.

Generalis cenſura circa ſtylum de Vitis Romanorum Pontificum in Codice Anaſtaſiano.

QVANTA profectò ſtyli diuerſitas ſit in Romanorum Pontificum Hiſtoria, facilè dijudicari poteſt à quocunque, ſi feriò, ac per otium eorundem Pontificum Vitæ perpendantur. Quapropter id nos pro virili demonſtraturi, ſeruato temporum ordine ac ſerie, cenſuram à Lino, primo poſt B. Petrum Pontifice, auſpicabimur.

Huius autem Pontificis vitam hìc ſubijciendam exiſtimauimus, vt ex ea ſequentium ſtylus dignoſci poſſit. Hæc verò ſic habet: *Linus natione Italus Regionis Thuſciæ ex Patre Herculano ſedit annòs* 15. *menſes tres, dies duodecim, fuit autem temporibus Neronis à Conſulatu Saturnini, & Scipionis vſque ad Capitonem, & Ruſum Conſules; martyrio coronatur. Hic ex præcepto B. Petri conſtituit, vt mulier in Eccleſia velato capite introiret. Hic fecit ordinationes &c. ſepultus eſt &c.* Hæc formu-

la

la ſiue phraſis vſque ad Liberium obſeruatur, exceptâ vitâ Syluestri, quæ alijs prolixior eſt, ſed inconcinna, & in plurimas ſectiones diuiſa, quæ eiſdem vocibus incipiunt: vt. *Hic fecit*, *Hic conſtituit*, *Hic fecit conſtitutum*; *eodem tempore*; *eiſdem temporibus*: plures inſuper dictiones barbaræ occurrunt, vt *Palla linoſthima*; *argentum battutile*. *Alauandinæ gemmæ*; *dolaticum argentum*, *Amæ argenteæ*. *Medemni*, aliaque peraſpera longè ab æuo Syluestri ſemota, quo lingua Latina nondum confluentiâ Exterorum, & inuaſionibus corrupta, candorem penitùs non amiſerat.

Vita verò Liberij, bonum fluidumque ſtylum ſapit, vſque ad Sylucrium incluſiuè. Propterea centum & octoginta annorum ſpatio, eumdem omninò ſtylum, earum Vitarum obtinuiſſe in aperto eſt; cum id temporis interuallum à Liberio; qui vixit ſub an. 352. ad Syluerium ſub 536. interceſſerit.

A Geſtis autem Vigilij, Syluerij Papæ Succeſſoris, vſque ad Martinum excluſiuè, mutationem aliquam ſtylus perpeſſus eſt, vix enim diuertit ab Euangelico, qui eſt ſtylus planus, & apertus, abſque vllo fuco, vlloque verborum delectu. Igitur cùm ad Summum Pontificatûs apicem anno 649. Martinum euectum habeamus, centum & nouem annorum decurſu alium ſtylum inualuiſſe fateri oportet. Exin-

Exinde verò Vitam Martini meliori ſtylo confectam, atque eo ipſo, qui à Sancto Liberio vſque ad Vigilium deducitur, fluidiorem putamus. Inter cætera enim, formulam, initialem, quam in omnibus Vitis obſeruatam notauimus, mutatam habet, quod ex ipſius Vitæ tenore innoteſcet, qui talis eſt: *Martinus de Ciuitate Tudertina, Prouinciâ Thuſciæ natione Campanus &c.* (in alijs dicitur natione Romanus) *Sedit annos ſex, menſem vnum, dies viginti ſex. Huius temporibus Paulus Conſtantinopolitanæ Vrbis Epiſcopus inflatus ſuperbiæ ſpiritu aduerſus rectum S. Dei Eccleſiæ dogma audacter præſumpſit paternis definitionibus contraire: inſuper ſtuduit ad cooperimentum proprij erroris quibuſdam ſurreptionibus, vt & Clementiſſimo Principi typum exponere, qui Catholicum dogma deſtrueret:* Cum hac Martini Pontificis Vita concors videtur illa Eugenij eius Succeſſoris.

Vitalianus verò, qui Eugenium ſequitur ſub anno 656. ſtylum pariter Euangelicum, vt de Vigilio diximus, olet, quem vlteriùs continuatum animaduertimus vſque ad Cononem anno 687. ab hac luce ſubtractum, qua temporis intercapedine octo Pontifices continentur. Sergij Vita, qui in fine anni 687. Pontifex electus fuit, diuerſis interpolationibus referta eſt, vt pote, *Hic*; *Hic*; *Hic*. Cui Vitas Ioannis VI. Ioannis VII. Siſinnij & Gregorij

gorij II. ſimiles facimus. Gregorij autem III. ſtylus ab alijs diſcrepat, cùm tot participijs careat, quibus prædictus Gregorius II. abundat, ac peculiari periodorum terminatione notanda ſit, veluti hac: *depoſitor, atque deſtructor, & prophanator, vel blaſphemus &c.*

Zachariæ Geſta, eodem ſtylo, àc præfati Gregorij III. deſcripta ſunt: quamuis diuerſis epithetis Pontificis nomen quandoque notetur v. g. *Sanctus Vir, Pontifex almificus, Beatiſſimus vir, Præcipuus Paſtor.* In fine autem ponitur: *creauit Preſbyteros*; cùm in alijs legatur *fecit*.

Stephanus III. qui geſſit Pontificatum anno 752. nobiliori ſtylo inſignis eſt, eidemque quædam epitheta ſingularia apponuntur, vt: *Sanctiſſimus Pater, Præcipuus Pater, Almificus Vir, Venerabilis Pontifex.* Et in fine legitur: *ceſſauit Epiſcopatus.* Huius quoque ſpeciei videntur eſſe Paulus, & Stephanus Quartus.

Geſta verò Hadriani I. rudi, malèque diſpoſito, hiulcoque ſtylo conſtant, ac longè ab alijs diuerſo. Occurrunt tamen, & peculiaria Pontificio nomini adiecta epitheta, nempe *Sanctæ recordationis Prædeceſſor*, (in alijs legitur; *Piæ memoriæ*) *Sanctiſſimus Præſul, Præcipuus Paſtor, Egregius Pontifex, Vicarius D. Petri, Almificus Paſtor, Ter beatitudo, Ter beatiſſimus.* Sequuntur & alia paſſim

epi-

epitheta, Bonus Paſtor, & Pater, Præſagus Vir, Præcipuus Antiſtes, Præſul egregius, Eximius Sacratiſſimus Pontifex. Quæ ſanè non ita variè, fusèque in prædeceſſores Pontifices cumulata ſunt; habet quoque permulta barbarè dicta, & à Latini Sermonis legibus diſſona, veluti hoc quod vnum adducimus participium *abſtultas* ciuitates, pro *ablatas* acceptum. Demùm in calce huius Vitæ, vbi mors Pontificis annotari ſolet, phraſis eſt, quæ nullibi in antecedentibus Vitis legitur: nempe: *Vitam finiens ad æternam migrauit requiem.*

Vita Leonis Papæ III. qui vixit anno 795. ſtyli prioris eſt, plurimiſque & inſulſis digreſſionibus plena, ad nauſeam vſque repetitis, & his epithetis gaudet: *Præcipuus Præſul, Magnus & Præclarus Pontifex, hic autem Venerabilis, & Sanctiſſimus Præſul, Venerabilis Pontifex, Summus Pontifex, Beati Petri Clauigeri Regni Cœlorum, à Deo protectus, & Præclarus Pontifex: Qui Beatiſſimus Pontifex.* Tandem in fine Geſtorum habetur phraſis: *ex hac luce ſubtractus ad æternam migrauit requiem.* Quæ cum ſuperiori Hadriani I. concordat.

Stephanus V. qui vixit Anno 817. quamuis iiſdem tranſgreſſionibus ſordeat, ſtyli tamen melioris apparet.

Paſchalis & ſtylo, & digreſſionibus elegantior

eſt v. g. *In Sedem Apoſtolicam Pontifex eleuatus eſt, porrò &, Item, Iterum, Denique, Chriſti namque, Enim verò, Verùm enim verò, Præterea idem Summus & Orthodoxus, Hic Sanctiſſimus, & Coangelicus Præſul.* Poſtremò vbi mors narranda eſt, hanc phraſim habet: *Hic denique Diuinâ ordinatione defunctus eſt*, quem dicendi modum in alijs nullibi, (ni fallor) offendes.

Paſchali autem Eugenius II. in omnibus par eſt.

Excipit hunc Valentinus II., qui Anno Sal. 827. Cathedram Beati Petri conſcendit. Porrò huius Vita aliorum omnium, quæ in hoc volumine continentur elegantiſſima eſt, ſi illorum temporum in Latino Sermone barbariem conſideres, ibi enim & fluidioris ſtyli ſuauitas, & varietas figurarum, & crebrioris metaphoræ pulchritudo lectorem allicit; nec habet in principio vſitatam formulam electionis v. g. *Pontificali eſt ab omnibus electus in honore, & poſitus in Sede Apoſtolica. Sacratiſſimæ Sedis Rector, & in Pontificali poſitus eſt Throno, Summum conſecrauere Pontificem. Qui mox Almificæ Sedis culmen ſcandens B. Petri Apoſtoli, & Cœleſtis Regni Clauigeri.* Clauditur denique hac ſingulari, cultiſſimaque periodo: *Quibus multiplicibus bonis ornatus ad Cœleſtia Chriſto vocante corporis oppreſſus moleſtiâ, exitu pretioſo tranſiuit, atque cum deſiderabili beatiſſimique operis fructu ad*

con-

conſpectum Summæ Maieſtatis lætus aſcendit. Quæ planè phraſis nullatenus alijs communis eſt.

Gregorius Papa IV. ad Pontificatum aſſumptus Anno 827. bonum quidem ſtylum habet, ſed non eiuſdem elegantiæ àc Valentinus. In eo ſunt hæc epitheta. *Paſtor eximius à Deo protectus & Præclarus Pontifex, Religioſiſſimus Papa, Sanctiſſimus Pater & Papa*. Quæ ferè cum alijs antecedentium Vitarum conueniunt.

Sergij II. Anno 844. Vitæ principium ad Vitam Gregorij comparatum dices inordinatius, finem tamen ob digreſſiones eruditiorem.

Vita Leonis IV. ſub Anno 855. Gregorij IV. ſtylum redolet, quamuis fuſiori calamo deſcripta, ita vt à cæteris plurimum diſcrepare videatur: habet etiam hoc ſingulare, quod priuſquam propria ipſius Pontificis Geſta enunciet, aliqua de Prædeceſſore prælibat. Præterea cuique pio eximioque facinori ſemper addit: *Diuinâ inſpirante clementiâ, Chriſto ſolatiante, Chriſti ſolatiante potentiâ &c.* Epitheta autem parum, immò aliqua ab antecedentibus nihil differunt. E. g. *Inſignis & præclarus Antiſtes, Hic verò inſignis ac prudentiſſimus Præſul. item & alia: Præclarus Pontifex, Vniuerſalis Papa, ipſe à Deo præcipuus Antiſtes, & hic ſolertiſſimus Deo opitulante Catholicus, & Apoſtolicus Vir, Sereniſſ. Præſul; Ter Beatiſſ. D. Noſtro Leoni IV.*

Benedictus III. qui floruit Anno, 858. concordare videtur cum ſtylo Leonis IV. veluti in his: *Pontificatus Infulâ perornârunt*, *Dei famulus*; *Chriſti Miniſter*, *Beatiſſimus Deique Omnipotentis Antiſtes*. Et in huiuſmodi reliquis.

His præmiſſis, rei ordo poſceret, vt Nicolai I. Hadriani II. & Stephani VI. Vitas examini pariter trutinæque ſubijceremus; At prius quàm ad id fuſiùs exequendum veniamus, Baronij iudicium de Hadriani Geſtis hìc interijcere cogimur, vt dicendorum ratio cohæreat, pateatque recipiendum nè ſit, an recuſandum. En igitur eius verba de Hadriani Vita ad Ann. 869. num. 78. *Hanc primùm accipe ab eodem Anaſtaſio, qui res geſtas Hadriani conſcripſit hoc ipſo tempore*, quibus eiuſdem Vitæ fragmentum adijcit, quod incipit: *His expletis &c.* Idemque hoc prolixè confirmat ad Annum 885. num. 7. apud me in Appendice, vbi ſic. *Porrò Anaſtaſij Bibliothecarij nomine iſta citauimus, eò quòd in eius Codice de rebus geſtis Romanorum Pontificum includantur, nec in vno volumine dumtaxat, ſed omnibus, quæ hactenus reperire potuimus exemplaribus. Qui autem res Anaſtaſij parum compertas habuerunt, putârunt ipſum cum Vita Nicolai finem ſcribendi feciſſe, reliqua autem quæ in eius Codice reperiuntur, ſiue de Hadriano II. ſiue de Stephano VI. ſcripta, eſſe Petri Guilielmi, ſiue Guilielmi Biblio-*

bliothecarij: ſed ſcias fuiſſe iſtam diuinationem Panuinij. Verùm cùm conſtet ſuperſtitem diù fuiſſe poſt Nicolaum Anaſtaſium, & adhuc vixiſſe tempore Ioannis Papæ Octaui, vt quæ de eo ſunt ſuperiùs recitata declarant, & ab obitu Ioannis VIII., vt vidiſti, vſque ad Stephanum hunc, de quo eſt ſermo, non niſi anni tres intercedant: haud adeo impoſſibile erit, iſta etiam de Stephano VI. ab eodem Anaſtaſio eſſe conſcripta, quæ (vt diximus) eò quòd eodem eius Codice includuntur, nomine Anaſtasij haud perperam putò, citare conſueuimus. Cùm præſertim nullus ſit Codex in Vaticana Bibliotheca vel extra (quod viderim) in quo Romanorum Pontificum Vitæ ſcriptæ legantur, qui habeant Guilielmum Bibliothecarium ab Hadriano II. vel Stephano VI. ſcribere cœpiſſe Vitas Romanorum Pontificum. Sed nec adeo repugnat, vt non poſſit eorum eſſe Auctor Anaſtaſius, eò quòd in Hadriano II. eiuſdem Anaſtasij ſumma cum laude mentio fiat. Nam non eſt nouum vt Auctor de ſe ipſò tanquam de alio in ſuis ſcriptis mentionem ingerat: Atque hoc Baronij iudicium eſt, quod quidem inhærere memoriæ debet, dum Nicolai Pontificis Vitæ cum certis quibuſdam Anaſtaſij ſcripturis comparationem aggredimur, eam quoque ipſiuſmet fœtum eſſe arbitrantes.

SE-

SECTIO QVARTA.

Comparatio Anaſtaſiani ſtyli cum ſtylo Vitarum Nicolai I. Hadriani II., & Stephani VI.

NICOLAI I. Vita, cuius tempore floruit Anaſtaſius Bibliothecarius, optimi ſtyli eſt, & quod noſtræ diſſertationis magis intereſt, cum alijs eiuſdem certis operibus, quo ad phraſim, & ſitum verborum, conuenit.

Hoc autem vt in aperto ſit, iuxta ea, quæ ſupra diximus obſeruanda, circa ſtyli comparationem; aliqua huius generis hiſtoria ex Anaſtaſio afferenda eſt: Propterea diligentiſſimè quibuſcumque Auctoris iſtius operibus perquiſitis, cùm inciderim tandem in Vitam Ioannis Eleemoſynarij apud Bollandum in Act. SS. Menſis Ianuarij die 23. quam inter tot alias, vnicam legi, hanc in prototypum comparationis adducerem. Verùm cùm illam ex Græco traduxerit Anaſtaſius, atque adeò non niſi interpres Leontij Auctoris extiterit, minùs rei noſtræ opportuna & accommoda mihi viſa eſt; quam-

uis

uis ipſe Anaſtaſius in Præfatione teſtetur ſe Græci idiomatis ordinem non ſeruâſſe, nec verbum verbo, ſed ſenſum ſenſui reddidiſſe.

Qua de re dum aptioribus Anaſtaſij ſcripturis deſtituimur, vti ijs cogimur, quæ non tam à ſtylo Vitarum diuerſæ, ac diſcordes eſſe videntur. En igitur duas eiuſdem Epiſtolas, quarum prioris tenor hic eſt: *Eccleſiaſticam Scripturæ ad multorum inſtructionem hiſtoriam induſtriæ tuæ promiſeram ex Græco me tibi ſermone quædam in Latinum verſurum eloquium. Dixeras enim & ſummâ veritate docente perbibueras, Eccleſiaſticam te ordiri non poſſe fidenter hiſtoriam, niſi vtriuſque linguæ quædam rerum geſtarum conſcripta ſeries ad tuam notitiam deueniſſet. Quapropter qui tantæ me imperitiæ recognoſco, vt nec ipſius linguæ meæ, in qua natus ſum, nè dixerim alienæ vim penetrare ſufficiam, ac per hoc nunquam interpretandi quacumque ratione conamen arripere præſumpſiſſem, conſentiens à Magiſtris reprehendi, quam te à prædicta torpore meo texenda hiſtoria remouere, ſatisfacere tibi ecce pro viribus maturaui.*

Secundæ verò, quæ ad Martinum Narnienſem Eiſcopum directa eſt, fragmentum tale eſt: *Quia cum Epiſcopatus apice Præpoſitura Sanctitati tuæ ob meritum Summæ Religionis B. Martini Monaſterij penès Vrbem poſiti, eſt à Summis Pontificibus delegata,*

gata, hortari me viſa eſt, quatenus, quæ apud Græcos reperijſſem ex ijs, quæ B. Papæ Martino pro fide ac rectis dogmatibus acciderunt, in Latinum conuerterem ſtylum, quamuis alius ſit Martinus cuius cerneris cœnobio piè præeſſe, & alius cuius affectas ad liquidum accidentia noſſe; Potuiſſet etiam hìc adijci particula Præfationis ad VIII Synodum cuius Auctor eſt Anaſtaſius, ſed eam comparationi noſtræ minus conſentaneam reputauimus; quamuis enim hiſtoriam contineat, nihilominus cùm celeberrimæ Synodo præuia ſit, ac Pontificem alloquatur, profectò cultiori ſtylo, puriorique idiomate debuit eminere, ſicuti reuerâ eminet. Sed iam ad Nicolai Vitam gradum facientes modicam ipſius partem hìc apponamus, vt non mediocrem inter ipſam, & Epiſtolas concordiam quin immò vniformitatem eſſe conſtet: *Nicolaus &c. Huius inſignis Beatiſſimi actus omnibus à primordio pueritiæ ſuæ fulſerunt, intactiſque moribus claruerunt. Tanta enim ſacrorum comptus erat pulchritudine operum, vt nihil ludis, nilque vt pueri ſolent inhoneſtè delectaretur. Vacabat autem patientiæ, & ſobrietati, fragrans humilitate, puritateque præcipuâ, Pater verò eius Liberalium cum fuiſſet amator artium, & nobiliſſimum polleret fomitem, cunctis* (alij legunt caſtis) *eum elementis, almificiſque ritibus imbuens literarum ſtudijs, & optimis artibus perornabat,*

ita

ita vt nulla ſacrarum ſpecies remaneret diſciplinarum, quam internis conceptam viſceribus, ſuęque cognitioni traductam non haberet. Gliſcit autem membris, gliſcit & ſapientiâ clarus, modeſtiâ fretus, ſcientiâ decoratus, probabilium nempe morum, ſi quocumque viros conſpiceret loco concitus adhærere ſtudebat, illiſque gratulabatur opimè, cumque cum prudentiſſimo Patre ad quendam Beatiſſimum crebrò virum accederet, qui Sancti per illuſtrationem Spiritûs plura Fidelibus prædicabat, amplo eum aſſerebat in culmine aſcenſurum, decoris enim intimi magnitudinem intuens, mentiſque dulcedinem coruſcare, huius ordinatione ad Clericatûs perductus eſt ordinem, vt quod diuino ſenſerat nutu, futuris temporibus impleretur. Hæc retuliſſe ſit ſatis, cùm ad plenam cenſuram edendam integras ſupradictas Epiſtolas ob oculos habere, ac diù perpendere oporteret. Interim quæ ipſe pro ingenij mei tenuitate, ocijque inopiâ, rimatus ſum, quæue non prætereunda putaui libens accipe. Præter alia leuioris notæ, quæ in Vita Nicolai I. voluminis lectio mihi ſuggeſſit; animaduertendum eſt, huius Vitæ Scriptorem vbique ferè adiectiua à ſubſtantiuis aduerbio, vel relatiuo, vel verbo ſeponere, qui ſanè dicendi modus Anaſtaſianæ Scriptioni valdè affinis eſt, vt in præmiſſis Epiſtolis Anaſtaſij videre eſt: præcipuè verò in his operis vtriuſque fragmen-

tis; & primo quidem prædictæ Vitæ, videlicet: Eccleſiaſticam *Scripturæ ad multorum inſtructionem* hiſtoriam; *ex* græco *me tibi* ſermone, *in* Latinum *verſurum* eloquium; *ac per hoc nunquam* interpretandi *quacunque ratione* conamen. *Quidquid* repertum *fuerit impolitum*. Deinde verò Epiſtolæ ad Martinum Narniæ Præſulem, nempe: *Quia cùm Epiſcopatûs apice* præpoſitura *Sanctitati tuæ etiam & à Summis Pontificibus* delegata, *in* Latinum *conuerterem* eloquium. Cuius cerneris cœnobio &c. Quæ fragmenta profectò inter ſe plurimum conuenire cuique fatendum erit. Perpendendæ quoque hîc eſſent digreſſiones Epiſtolæ Anaſtaſianæ, in quibus abuerbia poſtponuntur, vt, ille *quippè*, *iſte verò*, *pauci ergò*, *ſcio namque*, & huiuſmodi; quod adhuc & in Nicolai Vita obſeruabis; quare in comperto iam ſatis eſſe arbitror, illam Anaſtaſium ſapere, ipſique tribuendam eſſe, cùm peculiares, quampluriemaſque eius phraſis ac ſtyli notas præſeferat.

Verùm cùm plura hucuſque congeſta ſint circa Anaſtaſij ſtylum cum Vita Nicolai I., congruum eſſe crediderim ad alias Vitas accedere, nempe Hadriani II. & Stephani VI. Quibus in conferendis non parua nobis diſſentio erit cum Eminentiſſimo Cardinali Baronio, ac propterea ſententiam eius, quam ſupra attulimus, committen-

tendamque memoriæ admonuimus, huc reuocare opus eſt, vt rei veritas, quam vnicè indagare conamur è ſibi aduerſantibus, oppoſitiſque iuxta ſe poſitis opinionibus clariùs eniteat.

Vita igitur Hadriani Papæ II. ſi conferatur cum Vita Nicolai I. diuerſum proculdubio ab Anaſtaſio Auctorem habuiſſe quiſque concipiet. Nicolai enim Geſta crebrioribus, amplioribuſque epithetis gaudent, tum vberiori amplificatione trahuntur, idque etiam conſtantiſſimè ſeruatum habent, vt adiectiua à ſubſtantiuis aduerbio, vel relatiuo, vel verbo interpoſito ſecernantur, perioduſque nomine ſubſtantiuo, vel adiectiuo claudatur.

Geſta verò Hadriani, tum etiam Stephani, præter quàm quòd ferè ſemper periodos verbo terminent, ſi digreſſiones intueamur, meliori arte inſtituta diſpoſitaque cenſebimus.

Sed vt quamplurima alia prætereantur, quæ longè diuerſos harum Vitarum Auctores arguunt, id nobis maximè contra Baronij ſententiam ſuadere videtur, quod in Hadriani II. Vita & quidem non ſemel, Anaſtaſius egregijs & ſummis laudibus efferatur, diſertiſſimuſque ac prudentiſſimus appelletur.

Hoc enim præter inuериſimilem, ac improbabilem Auctoris de ſe ipſo loquentis tumorem vanitatemque, videtur prorſus cum Anaſtaſij humi-

litate pugnare, qui ſemper modeſtiſſimè de ſe loquitur; vt plura eiuſdem loca teſtantur; & præcipuè titulus præallegatæ Epiſtolæ ad Ioannem Diaconum, nempe: *Chariſſimo Fratri Ioanni digno Chriſti Leuitæ Anaſtaſius exiguus in Domino ſalutem*. Immò & infra: *Quapropter* (inquit) *qui tantæ me imperitiæ recognoſco, vt nec ipſius Linguæ meæ, in qua natus ſum, ne dixerim alienæ, vim penetrare ſufficiam*. In literis pariter Martino Narniæ Antiſtiti datis eodem *exigui* titulo vſus eſt, immò humiliùs in præfatione ad Vitam S. Ioannis Eleemoſynarij ſe gerit, vbi ingenium ſuum *ingeniolum* appellat, ſuamque vt exiguitatem exprimeret Nicolao Pontifici vocem *hanc tantillitatis* vſurpat. Inde autem quo ad ſtyli bonitatem inter Hadrianum II. & Stephanum VI. vix vllum diſcrimen concipi poteſt. At ſi aliqua maior ſtyli elegantia, fluidumque per omnia curſum, etiam in ordinationibus Eccleſiæ factis (qui in alijs narratorius & quandoque hiulcus eſt) nec non figuratum hinc inde ſcribendi modum ſpectaueris; Hadrianus præferendus videtur.

Vita verò Stephani VI. ſi comparetur cum Vita Nicolai I. ſtylo quidem eſt vniformis, ſed phraſi ornatior, fluidiorque: vtraque tamen id commune habet, quòd virtutes Pontificum poſt longiorem enarrationem in epilogum redigit, v. g. in Nicolao:

Erat

Erat autem aſpectu pulcher, formâ decorus, doctus in verbo, loquelâ humilis, actu præclarus. In Stephano pariter ſic: *Erat enim corpore caſtus, animo beneuolus, vultu hilaris, eloquio prudens, opibus largus, ingenio facundus, mœrentium conſolator &c.* Habetur & illud in eodem Stephano: *Sanctiſſimus Papa, & omnium vitiorum fortiſſimus expugnator.* Quod in Nicolao paululùm mutatâ phraſi ſic legitur: *Solertiſſimuſque vitiorum corrector.* In deſcribenda autem Pontificis electione, quo ad materiem, eundem modum inire comperimus.

Ex his igitur, quæcunque fuerint, animaduerſionibus Vitam Nicolai I. neutiquam ab Anaſtaſij ſtylo differre ſatis perſuaſum putàrim, ac propterea genuinam ipſius operam eſſe cenſendam: Contra verò, Vitas Hadriani II. & Stephani VI. quæ prædictas ſequuntur, non parum cum ſtylo eius Auctoris pugnare, ideoque Mineruam alienam ſapere, atque alteri quàm Anaſtaſio tribuendas. Verumtamen cùm Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, vt ſupra innuimus, aliud omninò diuerſum ſentiat, aſſeratque eas Vitas vt aliæ priores, eſſe Anaſtaſij, grauiſſima, & penè ineluctabili auctoritate ſuâ id aſſequitur, efficitque, vt viri tanti iudicio, an contraire, an potius ſtare debeam, incertus ſim. Tuum ſit ergò, erudite Lector, opinionum alterutri palmam, ac primas dare, dum

ſatis

ſatis ſuperque mihi futurum eſt, & ſi non attigerim veritatem, aliquem ſaltem ad eam attingendam, aucupandamque lapidem mouiſſe.

SECTIO QVINTA.

Comparatio aliarum Vitarum cum ſtylo Nicolai.

FACTA ſuperius eſt comparatio cum ſtylo Anaſtaſiano, & Vita Nicolai I. deinde cum Vitis Hadriani II. & Stephani VI. tum etiam vniformitas, ac diuerſitas inter has pluribus animaduerſa, aſſertaque: ſupereſt modò ad pleniorem huius voluminis, ſeu libri Pontificalis, eiuſque Auctoris indagationem, cum cæteris antecedentibus prædictam Vitam Nicolai I. conferre, & inquirere, an, ſicut iſta tribuitur Anaſtaſio, aliæ quoque Vitæ tribui iure poſſint. Hoc autem vt eâ, qua par eſt, breuitate facilitateque aſſequamur, præpoſterus ordo tenendus eſt, & à Nicolao I. ad Prædeceſſores eius Pontifices retrogradiendum. Quibus denique perluſtratis, à quonam Pontifice Anaſtaſius Hiſtoriam hanc Roma-

norum

norum Pontificum ſcribere incœperit; & quot eorum Vitas ſcripſerit, aperietur.

Primò igitur ante Nicolaum I. legitur Vita Benedicti III. quæ plura cum illa Nicolai communia habet, præcipuè quoad adiectiua, interiecto paſſim aduerbio, vel relatiuo, aut etiam verbo, à ſubſtantiuis disiuncta. Atque vt ea quæ dicimus oculo teſte mens capiat, en huius Vitæ fragmentum: *Beatus vir iſte dilectiſſimis viſceribus editus, ſydereo pollens rore creſcenſque celeriùs diuinorum ſtudio apicum, Patris ad erudiendum arbitrio traditur*. Item aliud: *Euidenter autem in eo diuina permanere ſapientia cognoſcebatur, quia largifluis, puriſque eius omnes fauebat affectibus, & luce clariùs perornabat*. Quin & alterum: *In Sancta illum conſtituit Romana Eccleſia Subdiaconum*. His adde illud: *Qui illum pro feliciſſimis actibus diligens ſuperno compunctus nutu cœleſti cum titulo ingenti presbyterum conſecrauit honore*. Poſſent & alia plurima adduci, quæ Lectori obſeruanda relinquimus, nè nimia prolixitate faſtidio ſimus. Non parum etiam vniformitatis, nè dicam identitatis, inuenies in digreſſionibus, veluti in hac: *Sed quia cuncta non ſufficimus per ordinem enarrare, ad ea quæ diuerſis Sanctorum locis obtulit, extendere calamum ſtudeamus*: Quæ ferè eadem eſt ac iſta in Nicolao: *Sed quia cuncta quæ Sacri operis*

geſſit

geſſit, huic tradere ſcripturæ non poſſumus, ad ea quæ Sanctis locis obtulit, redeamus; nec non in ſequenti nempe: *His itaque peractis*. Quæ in vtriſque Vitis vſurpata eſt.

Quod autem magis rem probat, narratio eſt oblationis cuiuſdam, ac doni, quæ ſic ſe habet: *Huius temporibus Michaël Filius Theophili Imperatoris Conſtantinopolitanæ Vrbis Imperator, ob amorem Apoſtolorum miſit ad B. Petrum Apoſtolum donum per manum &c.* Hæc enim alteri in Nicolao I. tam conſona eſt, vt ne verbo quidem ab illa differat, & repetita quodammodo, tranſcriptaque eſſe videatur.

In hac etiam Vita, vt ſuperiùs in Nicolao obſeruauimus, breue dilucidumque compendium præcedit virtutum Pontificis, veluti: *Erat enim mitiſſimus, & omnibus Sacris decoratus operibus, vultu pulcher, & mente clarus, dulcis verbo, doctrinâ beneuolus*. Sed omiſſis cæteris, illud potiſſimè afferri debet fragmentum, quod vnum ad ſtyli identitatem probandam, eumdemque vtriuſque Vitæ Auctorem validè adſtruendum ſatis eſt: adeò adamuſſim cum alio ſub Nicolao in eâdem re deſcribenda, videlicet funeſtiſſimâ Tiberis inundatione coincidit. Tale autem eſt: *In menſe verò quinto conſecrationis huius præclari Pontificis, ideſt, menſe Ianuario die .... fluuius, qui appel-*

pellatur Tyberis alueum egreſſus eſt ſuum, & per campeſtria ſe dedit, intumuitque inundatione aquarum multarum, & ingreſſus eſt per poſterulam, quæ appellatur Sanctæ Agathæ in Vrbem Romanam horâ diei. Tranſcendit interea aliquibus locis, & ingreſſus eſt in Eccleſiam B. Silueſtri, ita vt & gradus omnes aſcenderet, in Baſilicam B. Dionyſij præ multitudine aquarum, excepto vno, qui ſuperiùs erat, & exinde expandit ſe ſuper plateam, quæ vocatur Via Lata, *& ingreſſus eſt in Baſilicam Sanctæ Dei Genitricis MARIAE, & ibidem tantum intumuit aqua, vt etiam portæ ipſius Eccleſiæ non viderentur præ multitudine aquarum. Ac inde aſcendit per plateas & vicos vſque ad Cliuum Argentarij, exinde verò reflexus, ingreſſus eſt per porticum, quæ eſt poſita ante Eccleſiam Sancti Marci, menſe ſupradicto, die ſexto Apparitionis Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm carnem, ideſt; Theophaniæ. Inde autem impetum faciens, cœpit decurrere in cloacam, quæ eſt iuxta monaſterium Sancti Silueſtri, & Sancti Laurentij Martyris, quod vocatur Pallacini. Et ab ipſo die, & deinceps cœpit paulatim aqua minui, & fluuius poſt, multo damno facto, in ſuum alueum reuerſus eſt. Nam domos euertit, agros deſertauit, euellens ſegetes, & eradicans arbuſta.*

Et hæc quidem de Benedicto: modò verò de

tribus alijs ipſum proximè præcedentibus, nempe Leone IV. Sergio II. & Gregorio IV. aliqua videamus. Porrò eorundem ſtylus licèt quoad Adiectiuorum, & Subſtantiuorum diſpoſitionem omnimodam cum Nicolai ſtylo legem ſeruare non videatur, cùm ea perrarò ſeponat, vt in Leone IV. *In cuius etiam Beatiſſimo pectore*, *Amator enim Religioſorum hominum*, & paſſim alibi: huiuſmodi tamen Vitæ eam diſcrepantiam minimè inuoluunt, vt à diuerſo Scriptore exaratas fuiſſe argui poſſit. Quin immò illas nos Anaſtaſio Bibliothecario tribuimus, cùm factâ comparatione duorum ipſius Operum cum ſupradicta Vita Nicolai, obſeruemus Eccleſiaſticam ſcribendi formam nonnullis Sacræ Scripturæ locis ditatam: quibus vbique ferè Anaſtaſium vti in ſuis operibus conſtat. Neque hìc obſtare poſſe videtur, quod eædem præfatæ Vitæ elegantiæ minùs habeant, quàm Vita Nicolai; cùm hæ primæ fuerint, quas Anaſtaſius deſcripſerit: idque confirmatur ex quodam fragmento Vitæ Gregorij IV. deprompto argumento ex Martinello, in quem propria inferius arma acuemus. En igitur quæ habentur in Vita Gregorij IV. non perfunctoriè, ſed maximâ curâ pendenda: *Cœpit* (ideſt Pontifex) *indifferenter poſt curam gregum de cultura, ſiue meliorationibus Venerabilium tractare locorum, vt ſuis temporibus nouo culturæ formatu*

con-

conſolidata eſſent. Quod intercedente Apoſtolorum Principe Petro, iuxta votum ſui deſiderij factum eſt. Ideò cùm talia Præſulatûs ſui animo volueret, & hæſitans cogitaret, repente ad memoriam ſui recurrunt, quod iuſtum non eſſet ſi amplius Eccleſia S. Dei Genitricis, quæ more veterum nunc vſque Calixti trans Tyberim dicitur, ſine Monachorum officio conſtitiſſet, maximè cùm in ea Signorum non minima frequenter fiant miracula, & virtutes diuerſæ. Ac demùm diuinitùs compunctus corde, & Dei omnipotentis roboratus, ac fretus iuuamine, iuxta latus prænominatæ Baſilicæ Monaſterium à fundamentis ſtatuit, & nouis fabricis decorauit, in quo etiam Monachos Canonicos aggregauit, qui inibi officium facerent, & omnipotenti Domino grates & laudes diebus ſingulis & noctibus proſequuti, intimo cordis ſpiramine decantarent. Quod ſicut in præſentiarum cernimus, magno certamine, magnóque ſtudio; Paſtor eximius hoc opus valdè firmiſſimum ampliauit. Nam vbi antea nulla erat cultura præcipua, modò Deo diſpenſante pulchra ſunt habitacula Monachorum, & loca que nuper ab hominibus videbantur vepribus, vel immunditijs plena, nunc in eis Cellulæ conſtructæ ſunt, quibus oues Chriſti cum ſuis ſimul vtilitatibus poſt laudum officia largiſſimè cohabitant, & dormiunt: Patet autem, huius Vitæ Scriptorem cum ipſo Pontifice

ſynchronum extitiſſe, quem Anaſtaſium Bibliothecarium interpretamur, eundemque eſſe quem alium à Bibliothecario facit Martinellus, arguens id ex præfatione S. Baſilij Confeſſoris, extante in antiquiſſimo Codice *S. MARIAE ad Martyres*, ſignato in Bibliot. Vatic. n. 5696. fol. 184. à tergo, vt ſupra in referenda opinione ipſius Martinelli dictum eſt; quæ Epiſt. talis eſt: *Vrſo Ven: Subdiacono S. R. E. ſeu Medico, & Domeſtico Domini Noſtri Sacratiſſimi Papæ Nicolai Anaſtaſius exiguus Abbas Monaſterij S. Dei Genitricis MARIAE Virginis ſiti trans Tyberim, vbi olim circa Domini Natiuitatem fons olei fluxit.* Eruit ex eo Martinellus hunc Anaſtaſium, qui ſe Abbatem Monaſterij S. Dei Genitricis trans Tyberim profitetur, alium eſſe à Bibliothecario; at facili negotio improbari iſtiuſmodi illatio poſſet, dum fortè eo tempore, quo Anaſtaſius ſcripſit ad Vrſum Subdiaconum, munus Bibliothecarij nondum obierat, atque ideo neutiquam ſe titulo Bibliothecarij poterat inſignire, eumque præfigere ſuis literis, vt poſt munus obitum præfixit, & nos paulò infra videbimus. Quod autem ſæpè laudato Martinello admirationem ſuſpicionemque inducat denominatio Abbatis Monaſterij S. DEI Genitricis ſiti trans Tyberim, minimum eſt, ſi præallatam Vitæ Gregorij IV. particulam intueamur. Veriſimile enim, immò veritati maximè conſentaneum

duco,

duco, Anaſtaſium à Gregorio IV. Pontifice eidem Monaſterio in Abbatem præfectum fuiſſe, cuius ipſe Cœnobij, vt iam vidimus pluribus, tanquam oculatum teſtem decerет, mentionem habuit; præcipuè cùm omnes, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis Catalogum texuerunt, Abbatem Romanum eundem faciant. Datur & hìc alia quædam anſa denuò Martinellum redarguendi eo loci negantem, Vitam S. Ioannis Eleemoſynarij ab Anaſtaſio iuſſu Nicolai Papæ ſcriptam fuiſſe, ſeu potiùs è Græco traductam. Hoc enim conſtare ait ex antiquo Codice MS. S. Cæciliæ trans Tyberim, in quo de paſſione Sanctorum mille quadringentorum octoginta, ſic Anaſtaſius: *Petro egregio Epiſcopo S. Gauinenſis Eccleſiæ, Anaſtaſius Summæ, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius in Domino ſalutem. Poſt tranſlatam à me, appetitu Sanctitatis tuæ, Paſſionem præcipui Doctoris, & Martyris Petri Alexandrinæ Vrbis Epiſcopi, mihi præcipere voluiſti, quo paſſionem SS. mille quadringentorum octoginta Martyrum apud Græcos, Latino traderemus eloquio, quod, conſideratâ imperitiâ ſcientiolæ meæ, primùm quidem hoc aggredi non præſumpſi, deinde verò Paternitati tuæ inobediens apparere refugiens, paruij & quod iuſſiſti cœlitùs adiutus expleui.* Quid autem ſibi ex his inferat, vt verum fatear, neſcio: enimvero ſi demonſtrare conetur Anaſtaſium in hac

Epi-

Epiſtola ſe Bibliothecarium, & in alia minimè talem dicere, id iam ſupra abundè, non pugnare probauimus. Si autem ſentiat, eatenus S. Ioannis Eleemoſynarij Vitam non elucubrâſſe, quatenus Petri Doctoris, & Alexandrini Epiſcopi martyrium, vnà cum mille quadringentorum octoginta Martyrum Paſſione, iuſſu Petri Gauinenſis Epiſcopi tranſtulit: cur etiam Vitam præfati S. Ioannis Eleemoſynarij in Latinum ſermonem vertere non potuit: cùm & alias complures Vitas è Græca in Latinam linguam traduxerit? quod colligitur ex P. Labbe, de Scriptor. Eccleſ. & alijs. Hìc tamen minimè reticendum, quod de prædicto Petro Epiſcopo Gauienſi obſeruaui, videlicet pro Gauinenſi additâ Littera R. *Grauinenſi* reponendum, illumque Petrum Epiſcopum eſſe, quem ſubſcripſiſſe ſcimus Romanis Concilis, ſub Leone IV. & Hadriano II. Summis Pontificibus celebratis, teſtante Baron. ad Annum 853. num. 33. Quod etiam legitur in Synodo VIII. Generali Act. IV. Neque obſtat, quod in priori habeatur *Gabinenſis*, cùm vulgatiſſimum fuerit ijs Sæculis Literam B pro V. vſurpare. Hæret tamen Vghellius in ſua *Italia Sacra*, an iſte Petrus inter Epiſcopos Grauinenſes connumerandus ſit, exiſtimatque eum fortè eſſe, qui Concilio Romano ſub Hadriano II. interfuit Anno 871. Sed ſubiungit mendosè ibi

le-

legi *Grauinenſis* pro *Canenſi* ſiue *Cauenſi* cum Baronio in emendatione ad annum 867. Ego autem lectâ ſubſcriptione eiuſdem Epiſcopi ad Concilium Romanum ſub Hadriano II. non inueni *Grauinenſis*, ſed *Gauinenſis*, quidquid tamen ſit, concludit Vghellius legendum vel *Salinenſis*, vel *Canenſis*, at qua ratione non aperit; prætereà dici poſſe *Cauenſis*, haud probat, cùm Epiſcopatus Cauenſis non niſi ſub Bonifacio IX. exordium habuerit. Verùm in huius nomenclaturæ diuinatione nimium ſe implicauit, aſſerens legi oportere *Salinenſis*, vel *Canenſis*; nec erroneum lapſum Amanuenſis animaduertit, qui loco *Grauinenſis*, *Gabinenſis*, ſeu *Gauenſis* exſcripſit, vocum affinitate deceptus; quod profectò veriſimilius eſt, quàm quod ille adſtruit de lectione *Salinenſis*, vel *Canenſis*, vt rectè animaduertenti patebit.

SE-

SECTIO SEXTA.

Vitas Romanorum Pontificum præter Anaſtaſium diuerſos alios habuiſſe Auctores oſtenditur.

VT autem clariùs pateat, Vitarum Pontificum Romanorum diuerſos fuiſſe Auctores, eoſdem cum Pontificibus, quorum Vitas ſcripſere, vt plurimum contemporaneos fuiſſe oſtendemus. Qua in re diù multumque nobis laborandum non eſt: cùm id apertè ex earundem Vitarum lectione deducatur. Et quidem quid aliud innuit illud in Leone II. *Hic ſuſcepit Sanctam Sextam Synodum, quæ per Dei prouidentiam nuper in Regia Vrbe celebrata eſt?* Vbi ſi particula *nuper* obſeruetur, Auctor huius Vitæ, æuo Pontificis, immò & ipſius Synodi celebrationi proximus arguetur. Quod tamen Anaſtaſio tribui non poteſt, cùm à die celebrationis ſextæ Synodi vſque ad Nicolai I. obitum, centum & octoginta circiter anni interceſſerint.

Quatuor etiam inſignia loca in Leone IV. ob-

ſer-

ſeruantur, quæ opinionem noſtram confirmant. Et primò ibi. §. *Ex quibus* (videlicet Saracenis) *per quaſdam Inſulas noſtras famis laborantes penuriâ, plurimi à noſtris hominibus interfecti ſunt. Cæteros autem causâ veritatis ac teſtimonij viuos comprehendentes, Romam duxerunt, quorum Romani Proceres, ne multiplicatus numerus videretur, multos propè Portum noſtrum Romanum in ligno ſuſpendi iuſſerunt, aliquantos etiam nos ferro conſtrictos viuere iuſſimus, per hanc ſolummodo cauſam, vt & ſpem noſtram, quam in Deum habemus, & illius ineffabilem pietatem, necnon & propriam Tyrannidem luce clariùs ſcire valuiſſent. Et poſt hæc nè otiosè aut ſine anguſtia apud nos viuerent, aliquando ad murum, quem circa Eccleſiam Beatiſſimi Apoſtoli Petri habebamus inceptum, aliquando per diuerſa Artificum opera quidquid neceſſarium videbatur per eos omnia iubebamus deferri.* Quæ ſanè verba non modò coæuum Pontifici, ſed etiam magnæ in Eccleſia Romana Auctoritatis fuiſſe Scriptorem inſinuant.

Quapropter cum aliquandiu mecum anxius cogitâſſem, haud parum dubitare cœpi, an hoc fragmentum ab ipſo Leone Pontifice ſcriptum eſſet, ac ſi ille ſua Geſta, vt à plurimis ſupremiſque Principibus factitatum nouimus, adnotaret: atque indè à Scriptore, prout ſe habebat hiſtoriæ inſer-

tum. Verùm id quiſque videat, ac pro arbitrio dijudicet, dum nobis obiter hoc dicentibus quælibet aliorum ſententia probabitur.

Secundò, quæ ſupra diximus liquidò innoteſcunt ex eadem Vita in §. *Deinde*, vbi hæc: *Indè magis dignum eſt, atque conueniens, vt pro tanto Præſule, tantoque Paſtore cunctipotentem Dominum toto corde puroque animo iugiter imploremus, per quem tam admirabile perhoneſtumque opus Chriſti ſolatiante potentiâ celeri exercitatione expletum ob ſalutem Chriſtianorum omnium conſummatumque cognoſcimus in noſtris orationibus, quatenus & hìc diutiſſimè vigeat, & illic cum Sanctis omnibus pro ſuis innumeris certaminibus, ac laboribus perpetualiter æterna mereatur præmia poſſidere*. Id etiam patet & §. *His autem*, ibi: *Portas, quas deſtruxerat Saracena progenies argentoque nudârat, erexit, multiſque argenteis tabulis lucifluis, ſalutiferiſque hiſtorijs ſculptis decorauit, & in meliorem ſpeciem, quàm pridem fuerant reparauit, vt omnes qui in eandem Baſilicam ingredi volunt, laudes Deo omnipotenti Sanctoque ſuo Præſulatui referant, & expoſcant, vt multa annorum ſuæ Vitæ curricula extendantur, qui tanti fulgoris opere &c.* Quarto denique ex §. *Quatenus omnes*, vbi de Anaſtaſij Cardinalis depoſitione hæc traduntur: *In hac denique, poſt cætera, Synodo Anaſtaſius Presbyter Cardinalis tituli B. Marcelli ab*

omni-

omnibus Canonicè eſt depoſitus, *eo quòd Parochiam ſuam per annos quinque contra Canonum inſtituta deſeruit* , *&* *in aliena vſque hodie demoratur* . Hic autem liceat animaduertiſſe hunc Anaſtaſium Cardinalem tituli Beati Marcelli ex nominis affinitate cum noſtro Anaſtaſio Bibliothecario confundi à Voſſio de Scriptoribus Latinis. Sequitur Voſſium Petrus Lambecius in ſuis commentarijs *de Bibliotheca Cæſarea* lib. 8. pag. 271. At iſte patulus error euincitur ex Baronio ad Annum 853. 855. & 867. vbi fusè narratur hiſtoria iſtius Anaſtaſij Presbyteri.

His præterea plurimùm confert alia animaduerſio in Vita Hadriani I., vbi in principio habemus Pontificem adhuc Puerum perſeuerâſſe in Eccleſia Sancti Marci, quæ vicina domui ſuæ eſſe videtur. Nam ſi Scriptor longè poſt obitum Hadriani Vitam elucubrâſſet, profectò ſimpliciter non dixiſſet, *videtur*, ſed addidiſſet *adhuc*, vel *vſque ad præſentem diem*. Idque maximè confirmatur ex eo, quod alibi id obſeruatum videmus, vt in Leone I. vbi Legimus iſtum Pontificem multas Epiſtolas conſcripſiſſe, *quæ hodie reconditæ in Archiuo tenentur*. Et in Stephano III. cum de Pipini donatione agitur de Ciuitatibus &c. *Quæ vſque hactenus* (verba Vitæ) *in Archiuo Sanctæ noſtræ Eccleſiæ reconditæ tenentur*. Et alibi paſſim. Vnde

ex hac forma loquendi in apertum deducitur, Auctores tam ij, qui ab obitu Pontificis longiùs diſtabant, quàm qui Synchroni, vel interitui Papæ proximiores erant, ex ipſa ſcribendi ſpecie id oſtendere.

E quibus omnibus euidentiſſimè, ac neceſſariò cuicumque aſſerendum arbitror, Vitas Pontificum, præter Anaſtaſium, qui plurimorum opinione, eas omnes elaborauit, noſtrâ tamen ſolummodo Vitas Greg. IV. Sergij II. Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I., quamplures alios Auctores agnoſcere. Ad quas meas firmandas coniecturas addo Iudicium Dauidis Blondelli in ſuis prolegomenis ad Epiſtolas Decretales pag. mihi 61. vbi cenſet Scriptorem libri Pontificalis vixiſſe circa annum Domini 700. quia citatur à Beda, qui vixit in principio Octaui Sæculi, ac ab Amalario Fortunato, & Vvalaffrido Strabone, qui floruerunt in principio Sæculi IX. & ab alijs Antiquioribus, atque adeò ante Anaſtaſium Bibliothecarum, qui obijt circa finem eiuſdem IX. ſæculi; ex qua Blondelli animaduerſione elicitur huiuſmodi collectionem Vitarum Romanorum Pontificum iam ſæculo VII. factam fuiſſe, non autem illas ab vnico Auctore ſcriptas, vt ipſe perperam exiſtimauit.

SE-

SECTIO SEPTIMA.

Quiſnam fuerit Auctor Vitæ Hadriani II.

QVÆRI præterea poſſet, quiſnam fuerit Auctor Vitæ Hadriani II. quam Panuinius Petro Guilielmo, ſiue Guilermo Bibliothecario tribuit, & Baronius ad Annum 885. malè illum diuinâſſe ait, & huic ego ſententiæ ſubſcribo, nam Eminentiſſimus Cardinalis Raſponus in ſua Baſilica Lateranenſi lib. 3. Cap. 13. Bibliothecariorum Catalogum texit, ac ad Annum 865. ponit Anaſtaſium, & ad Annum 870. quendam Chriſtophorum Primicerium Notariorum. Vbi notat eundem, abſente fortè Bibliothecario, ipſius munus geſſiſſe prædicto Anno 870. Hanc coniecturam vt ſequar ſuadet Baronius, qui ab Hadriano Pontifice miſſum fuiſſe tradit Anaſtaſium Bibliothecarium vnà cum Cæſario Abbate Neapolim, vt eius Vrbis Populum, ſi mandatis Apoſtolicis non pareret, Excommunicationis vinculo innodarent. Quare veriſimiliter conijci poteſt, dictum

Chri-

Chriſtophorum per Anaſtaſij abſentiam ſe pro Bibliothecario geſſiſſe. Subdit indè Raſponus ad Annum 872. quendam Petrum Diaconum: non tamen refert, an fuerit Bibliothecarius, necne. Poſtea verò Anno 900. Guilielmum Bibliothecarium conſtituit. Inter Petrum autem, & Guilielmum duos alios fuiſſe Bibliothecarios reperio, nempe Anno 882. Zachariam Epiſcopum Anagninum ex Baronio ad dictum Annum num. 1. & ad Annum 884. Benedictum Epiſcopum Syluæ Candidæ ex Vghellio in eiſdem Epiſcopis num. 121. quare potiùs crediderim Hadriani II. Vitam à Zacharia, veluti proximiori conſcriptam, quàm à Guilielmo, qui paulò poſterior fuit. Quædam etiam pro Zacharia concurrunt, quæ non vulgaris, ſed præcipuæ notæ virum prædicant, quod Guilielmo non accidit, cuius dotes qualitateſque ignorantur. Zacharias enim cum Rodealdo Epiſcopo Portuenſi à Nicolao I. Summo Pontifice Conſtantinopolim legatus eſt Anno 860. Eo conſilio, vt ambo deiecti Ignatij, intruſique Photij cauſas cognoſcerent, vtque toties definitam cauſam de cultu Sacrarum Imaginum decreto firmarent. Cùm autem prohibita eis eſſet communio cum Photio, corrupti muneribus non modò cum eodem communicârunt, ſed etiam indignam, iniuſtamque depoſitionem Ignatij ratam habuerunt.

runt. Quamobrem Romam reuerſos idem Nicolaus Pontifex in Vaticana Baſilica conuocatâ Synodo mox eadem ad Baſilicam Conſtantinianam tranſlata eos damnauit, omnibuſque muneribus ac dignitatibus expoliatos Eccleſiaſticæ Cenſuræ ſuppoſuit. Verùm cùm poſtea præfatus Zacharias ſe reum, Ignatium autem Patriarcham, & Photium intruſum à Conſtantinopolitani Throni inuaſore confiteretur, ab Hadriano II. in priſtinum gradum reſtitutus fuit, & à Ioanne VIII. Hadriani Succeſſore honorifico Bibliothecarij munere decoratus. Propterea veriſimilius eſt Zachariam, vtpote qui Vir doctus erat, & in Hadrianum II. ſuæ dignitatis ac famæ reparatorem optimo iure officioſus, ipſius Vitam literis conſignâſſe, quod de Nicolao feciſſe Anaſtaſium retulimus.

Neque vllo pacto noſtræ opinioni officeret, ſi obijceretur: Ideo Zachariam prædictæ Vitæ Scriptorem haud eſſe, quia in hac de ipſomet ſit ſermo, diciturque à Nicolao I. Sacerdotio depoſitus; quod quidem ipſi, vt ignominioſum prætereundum fuiſſe videretur, ſi Vitam ſcripſiſſet. Id, inquam, nihil officeret: nam poſt depoſitionem adijcitur reſtitutio, quæ tanti eidem honoris fuit, quantæ illa fuerat ignominiæ. Ideoque neutra prætereunda; non prima, quia notiſſima: nec poſterior, quia cùm dedecus à priori obliteraretur, digniſſima

ſanè

ſanè erat, quæ omnium hominum, ac Sæculorum notitiæ, memoriæque committeretur.

SECTIO OCTAVA.

Cur Anaſtaſius Vitas Hadriani II. & Stephani VI. non ſcripſerit.

VT in hac noſtra diſſertatione nihil omninò eorum, quæ claritati, copiæque conducunt; quoad fieri poſſit, prætెrijſſe videamur: illud etiam anucleandum eſt, cur Anaſtaſius, ad quem pro munere Bibliothecarij fortè, vt iam diximus, pertinebat Pontificum ſui temporis Vitas conſcribere, Nicolaum non exceſſerit; potuerit tamen & Hadriani II. & aliorum quorumdam Geſta congerere, cùm vſque ad Ioannem VIII. floruerit, ſi Panuinio, Labbeo, alijſque Scriptoribus fides præſtanda eſt? quare vt hæc breuiùs & faciliùs diluamus, id vnicè in cauſa fuiſſe putauerim, quòd Anaſtaſius ſub Hadriano II. tempore Celebrationis VIII. Synodi miſſus à Ludouico pijſſimo Imperatore, ferenſque ab Apoſtolica Sede Legationem Byzantium petijt: Quod & Baronius

ad

ad Annum 869. num. 47. & 48., atque ipſemet in ſua præfatione his verbis teſtatus eſt : *Igitur cùm hæc celebraretur venerabilis Synodus accidit me famulum veſtrum miſſum à Ludouico pijſſimo Imperatore cum duobus alijs viris inſignibus intereſſe, ferentem etiam Legationem ab Apoſtolicis meritis.* Adeoque licuit illi quidem ante hanc profectionem abſoluere Vitam Nicolai I. & præcipuè quia eius Geſtis pleniſſimè imbutus erat, & oculatus teſtis adfuerat: non tamen Vitam Hadriani, cùm peregrè profectus eſſet, vt arduis maximiſque Synodicis negotijs vacaret. Immò neque id efficere vnquam potuit poſtquam Romam Conſtantinopoli regreſſus fuit. Namque abſoluta die vltima Februarij Anni 870. Sanctâ Synodo, ſecum illius Acta Romam detulit, præſentauitque Hadriano; qui cùm perhumaniter eadem excepiſſet, commiſit ipſi Anaſtaſio, qui tunc Bibliothecæ curam gerebat, vt in Latinum Sermonem verteret: qua propter præceptis Pontificijs obtemperans, ad elucubrandam VIII. Synodi traductionem animum applicuit, quod pariter prædictâ ſuâ præfatione ad Hadrianum, ſic docet. *Vnde factum eſt, vt eiſdem loci Seruatoribus in prædones incidentibus, & Codicem ipſum cum omnibus ſupellectilibus ſuis amittentibus, ego Codicem, quem detuleram Romam vexiſſe dignoſcerer; quem Sanctitas veſtra grato*

ſuſcipiens animo mihi ad trasferendum in Latinam tradidit dictionem, ad quod opus ego idoneum me eſſe denegaui, licèt in interpretandis ex Archiuo in Romanum Sermonem ſcripturis præſenti tempore quoddam conamen arripere nitar, & nonnulla iam ad ædificationem plurimorum, & præcipuè veſtri Deceſſoris hortatu interpretatus edidiſſe dignoſcar. Verùm vicit iuſſio tanti Pontificis, dum non deeſt obedientia prompti Miniſtri.

Abſoluto deinde hoc eximiæ eruditionis opere, ſcholijſque digniſſimis illuſtrato, Septimam Synodum ex Græco in Latinum Idioma transferre operæ prætium duxit, infirmo corpori minimè parcens, vt ipſe ait in præfatione ad Ioannem VIII. Summum Pontificem, Hadriani Succeſſorem, hoc pacto: *Quod ipſe intuens, nec proprio infirmo corpori parcens, auxiliante Domino hanc niſus ſum interpretari Latinis, indecens & incongruum cenſens veſtram maximè omnium Eccleſiarum Magiſtram, Romanam videlicet Eccleſiam eâdem Synodo defraudari, cùm videam poſteriori, ideſt Octaua, magnificentiſſimè decorari; præſertim cùm ſacræ Bibliothecæ veſtræ, cuius miniſter veſtrâ dignatione conſiſto, ex hoc, quod deſuper mihi datum eſt, debitor ſum miniſtrare.* Conſtat igitur Anaſtaſium poſt ſuum è Byzantina Vrbe reditum vixiſſe vſque ad tempora Ioannis VIII., qui floruit vſque ad finem Anni 882. cùm

poſt

poſt iſtius Pontificis obitum nullum aliud Anaſtaſij opus reperiatur, totamque huius temporis intercapedinem in Græcorum operum interpretatione veriſimiliter inſumpſiſſe, ad hanc fortè Prouinciam ſuſcipiendam illectum, quod Conſtantinopoli per triennium immoratus, Græcam Linguam ſibi familiariſſimam fecerat. Quare hoc eodem tempore incongruum prorſus eſt credere, eundem Hadriani Vitam, ac multò minùs aliorum Pontificum Hadriani Succeſſorum, præſertim verò Stephani VI. ſcripſiſſe. Cùm enim tot occupationibus ac infirmitatibus detineretur inhabilis ad hoſce alios labores ſubeundos efficiebatur. Nec valet obijcere Stephani VI. Vitam in multis Anaſtaſium redolere, quia ſi in quibuſdam eidem affinis videtur, in pleriſque diſcrepat: ac multoties ſtylum Antéceſſoris imitari Scriptores conſueuerunt.

SECTIO NONA.

Cur multæ Vitæ rudi ſtylo deſcriptæ fuerint.

QVOD autem rudi Minerua, varioque ſtylo permultæ Vitarum deſcriptiones ſparſim toto Codice offendantur, nullam porſus admirationem animis Eruditorum incutiat; ex eo enim hæc ſtyli varietas, ruſticitaſque emanâſſe mihi videtur, ſi coniecturis vti liceat, quòd nempe Sedes Apoſtolica ſicuti in primis Eccleſiæ Sæculis, graſſantibus contra Chriſtianam Religionem Perſecutoribus, ſuos habebat Notarios, quorum Acta Martyrum ſcribere munus erat, horum autem ſtylus eſt planus, & apertus, abſque vllo verborum ſplendore, & elegantia, redditâ deinde Eccleſiæ pace, conſtituit, vel eoſdem Notarios, vel quos *Bibliothecarios* appellauit, aut etiam alios, qui Romanorum Pontificum Geſta deſcriberent: & hi fortè ob imperitiam, vel quadam conſuetudine Anteceſſorum formulis vtebantur. Quinimmò quæ potior cauſa fuerit inelegantiæ harum, Vitarum

tarum, quàm extranearum immaniumque nationum irruptio in Italiam, Vrbemque ipſam, quæ omnia ſubſque deque vertentes, linguam Latinam adeò fædauerunt, ac deprauârunt, vt vix vllum ſui candoris veſtigium præſeferret, ac penè obliuioni mandata videretur? liquet hoc ex Anaſtaſio Germonio, qui in ſua Pomeridiana Seſſione 2. puritatem Latini ſermonis tempore Iuſtiniani Imperatoris in principio nempe Sexti Sæculi excidiſſe teſtatur. Multò etiam ante hunc Anaſtaſium inſcitiam, imperitiamque, grauiſſima eorum temporum infortunia deplorauit Agatho Summus Pontifex in quadam ſua Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, & Heraclium, ac Tyberium Auguſtos, qui infine VII. Sæculi fuerunt, his verbis: *Ideoque* (inquit) *Chriſtianiſſimi Domini Filij ſecundùm piiſſimam miſſionem à Deo protegendæ manſuetudinis veſtræ, pro obedientia, quam debuimus, non pro confidentia eorum Scientiæ quos dirigimus præſentes Confamulos noſtros Abundantium, Ioannem, & Ioannem Reuerendiſſimos fratres noſtros Epiſcopos, Theodorum, & Georgium dilectiſſimos Filios noſtros Presbyteros, cum dilectiſſimo Filio Noſtro Ioanne Diacono, & Conſtantino Subdiacono Sanctæ huius Spiritualis Matris Apoſtolicæ Sedis, necnon & Theodorum Presbyterum, Legatum Sanctæ Rauennatis Eccleſiæ, & Religioſos Seruos Dei Monachos*

*chos cum Scripiurarum cordis deuotione curauimus demandare. Nam apud homines in medio Gentium poſitos & de labore corporis quotidianum victum cum Summa exercitatione (*alij legunt *bæſitatione*) *conquirentes, quomodo ad plenum poterit inueniri Scripturarum ſcientia?* Hinc eſt, quod ſi illius æui calamitatem eo vſque creuiſſe legimus, vt Eccleſiaſticæ quoque, & ſupremæ dignitatis Viri graui labore, ſummâque exercitatione corporis victum ſibi quærere, Sacrarumque Scripturarum ſtudia ſeponere cogerentur: ſequi neceſſe eſt eos & Latini Sermonis elegantiam puritatemque amiſiſſe, & in maximam, turpiſſimamque barbariem fuiſſe prolapſos. Proptereaque quid mirum, ſi tot Pontificum Romanorum Vitas tam vario, tam hiulco ſtylo conſcriptas quis inuenerit?

SE-

SECTIO DECIMA.

Quid ſentiendum de duabus ſuperiùs relatis Epiſtolis, Hieronymi ad Damaſum, & Damaſi ad Hieronymum.

RETVLIMVS ſupra Henſchenij, & Papebrochij opinionem ſub menſe Aprili, vbi memoratas Hieronymi ad Damaſum, & Damaſi ad Hieronymum Epiſtolas vtpote genuinas approbant, prioremque Catalogum Vitarum Pontificum reſpicere annuunt. Ad hoc firmandum duas alias eorundem Sanctorum Epiſtolas ibidem in medium ferunt à M. Mileſio Sarazanio tranſcriptas, Pſalmodiæ verſionem è Græco in Latinum eloquium continentes, quam Damaſus ab Hieronymo expoſtulauit: Exinde has de Pſalterio Literas planè ſimiles illis de Geſtis Pontificum faciunt, arguuntque inter Damaſum, & Hieronymum Epiſtolarum commercium. Concludunt denique Damaſum primum Catalogum non ſcripſiſſe, ſed tantummodo approbâſſe. Hoc Henſchenij & Papebrochij iudicium ad trutinam poſuit

ſuit Vir Clariſ. Schelſtratius in ſua *Antiquitate illuſtrata*, vbi negat priorem Catalogum à Damaſo approbatum fuiſſe, ambaſque Epiſtolas ſubiacere cenſuræ aſſerit, eaſque tanquam apocryphas, & Hieronymi ſtylo indignas damnat; tum ad illas proſternendas vtitur ſeueriſſimis Eraſmi, ac Labbei cenſuris, quas contra præfatas de Pſalmodia Epiſtolas ferunt, ducto ex ſimilitudine argumento. Schelſtratij opinionem ſectatus eſt Henricus Gœzius, Vir à Catholica religione alienus, qui eius Auctoritate fultus in eandem Epiſtolarum cenſuram inuehitur in Lib. de ritu Lectionum Sacrarum num. 46. Vbi ſic: *Praterea non deſunt hodie inter Pontificios, qui conſuetudinem Literarum circa libros inter S. Damaſum & Hieronymum ex Epiſtolis publicatis nullatenus oſtendi poſſe cenſent, quemadmodum videre eſt apud Schelſtratium Antiq. Eccleſ. Illuſtr. Diſſertationis preuiæ Cap. II. pag. 16.* Nos autem his non obſtantibus, prædictas Epiſtolas Hieronymi ad Damaſum, & Damaſi ad Hieronymum genuinas eſſe pro viribus adſtruemus.

Scopus itaque, præcipuumque huius Cenſuræ fundamentum in eo ſitum eſt, vt diximus, quòd Epiſtolæ controuerſæ cum alijs nullam ſuſpicionem habentibus, minimè ratione ſtyli conueniant. At hæc comparatio nimis ſicca eſt, deficitque ante

omnia

omnia in eo, quod neceſſariò requiritur, videlicet, quod fiat de ſimili ad ſimile.

Epiſtola enim de qua eſt controuerſia, an ſit Damaſi, perbreuis eſt, & familiaris; aliæ autem cum quibus in comparationem adducitur, eæ ſcilicet, quas Lucas Holſtenius edidit, longè altioris, grauioriſque materiæ ſunt, cùm ambæ Synodicæ ſint, & vna quidem ad Orientales Epiſcopos, altera verò ad Patriarcham directæ, ac dogma contineant. Quare ſtylus earum Oratorius eſt, phraſibuſque refertus, quæ Synodi, Pontificiſque, immò rerum ipſarum dignitatem decerent.

Secundò, in allata Cenſura nihil attenditur an Epiſtolæ ſint proprio ſtylo, manuque Domini eas mittentis conſcriptæ, an verò alterius perſonæ, quæ dicitur *à Secretis*; cùm Antiqui quoque Pontificees, licèt alioquin doctiſſimi, talibus viris vti conſueuerint; & ipſe Damaſus vltimis tribus ſui Pontificatûs annis in hoc magni Hieronymi operâ vſus fuerit, qui hoc fatetur in Epiſt. II. vbi: *Ante annos plurimos cùm in chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, & Orientis, & Occidentis conſultationibus reſponderem*. Quæ egregia Hieronymi monumenta vnà cum Synodicis Actis perijſſe narrat Cardinalis Baronius ad Annum 382. num. 24. atque indè poſtea ante Hieronymum alterum Damaſo ad con-

ſcribendas Epiſtolas inſeruiſſe; tum etiam ſub vno eodemque Pontificatu plures huiuſcemodi miniſtros, vel ob mortem, vel ob promotionem inſeruientis, vel alio quouis impedimento variâſſe: quod præcipuè de Damaſo conijciendum putamus, qui annis decem & octo Pontificiam Cathedram rexit: tanto enim temporis interuallo res non immutari difficillimum eſt. Vnde ne à cenſura diſcedamus, Epiſtolæ comparatio cum ſtylo proprio Damaſi, ſi quæ diximus rectè perpendantur, ipſam haud infirmat, cùm veriſimile & probabile maximè ſit, illam non vtique ab ipſo Damaſo, ſed à Viro, qui eidem ab Epiſtolis erat, fuiſſe compoſitam: præſertim cùm de re haud magni momenti ageretur. Vnde etſi concedamus Epiſtolam hanc à Damaſi ſtylo diſcrepare, cùm vt plurimum ſtylus eius, qui à Secretis eſt, differat à ſtylo Domini, qui aliquando ſublimior, & elegantior eſt, aliquando verò humilior: non per hoc euincitur, quòd ad Damaſum non pertineat, cùm ea quæ Domino imperante confecta ſunt, non niſi ipſi tribuantur: qua de re legimus apud Paulum Vvarnefridum, vulgò Diaconum appellatum, de Geſtis Longobard. Lib. 3. Cap. 10. aliàs 20. Epiſtolam VII. Pelagij II. quæ eſt tertia ad Heliam Aquileienſem Epiſcopum,& alios Itrię Epiſcopos,qui damnationi trium Capitulorum in Calcædonenſi Synodo pro-

promulgatæ conſentire nolebant, ſcriptam fuiſſe à S. Gregorio PP. I. cùm adhuc Diaconus eſſet. Legimus etiam apud Trithemium de Scrip. Eccl. quem ſequitur eruditiſſimus Queſnel in Notis ad Epiſtol. 24. num. 39. S. Leonis, eundem Sanctiſſimum Pontificem huius nominis primum, ob inſignes virtutes Magnum denominatum, ſuum habuiſſe ab Epiſtolis S. Proſperum natione Aquitanicum. Verum quidem eſt, quod huic Trithemij opinioni aſſentire minimè potui; cùm Magni Leonis Epiſtolæ cum eiuſdem Sermonibus vniformes ſint, atque ideo cogimur dicere, aut omnes Epiſtolas, & Sermones à S. Leone, aut à S. Proſpero exaratos fuiſſe. Qua de re, liceat hìc aliquantulum ad expiſcandam veritatem, ſuaque vnicuique reddenda, non ſine vtili errore, ab inſtituto curſu deflectere.

Primùm igitur, ſeruatâ temporum ſerie, qui de Sancto Proſpero quoad ſuperiùs notata meminerit, reperio fuiſſe Gennadium Presbyterum Maſſilienſem in ſuo Catalogo *Illuſtrium Virorum* apud D. Hieronymum in Tom. I. nuperrimæ Francofurtanæ editionis, vbi Gennadius hæc de Sancto Proſpero aſſerit: *Epiſtolæ quoque Papæ Leonis aduerſus Eutychem de vera Chriſti Incarnatione ad diuerſos dictatæ, ab ipſo (* videlicet S. Proſpero *) dictatæ creduntur*. Viuebat autem Gennadius cir-

ca finem Sæculi V. atque ita Leoni ſynchronus fuit, cùm ille obierit Anno 461. ac proinde Geſtorum eius memoriam recenſerat; quæ ratio videtur pro confirmanda iſtius aſſertione plurimum facere. Attamen ſi dubium ſubtiliùs diſcutiatur, nonnullæ difficultates inſurgent. Primò enim, ſi Epiſtolæ S. Leoni attributæ, inter ſe, vel cum ipſius Sermonibus conferantur, in ſtylo vniformes inueniuntur, præter vnam, nempe decimam ſeptimam, nuperrimæ Pariſinæ editionis, vt obſeruauit Eruditiſſimus Queſnel, qui hanc decimam ſeptimam tantummodo quoad ſtylum in dubium reuocauit, reliquas verò omnes, inter quas illa contra Eutychem annumeratur, tanquam veras, & autographas reputandas eſſe cenſuit. Verùm ſi prædictæ Epiſtolæ cum operibus Sancti Proſperi comparentur (vtrumque enim ad hoc, vt quid certi aſſeratur, fieri neceſſe eſt) ab eius ſtylo ſunt remotiſſimæ.

Secunda difficultas ex eo oritur, quòd etiam ſi concedatur S. Proſperum tantummodo Epiſtolas contra Eutychem ſcripſiſſe, alias verò S. Leonem; ſupereſt adhuc dubitationi locus, cùm iſtæ Epiſtolæ contra Eutychem aliarum ſtylo ſimiles ſint, ac propterea vnum eundemque Scriptorem præſeferant. Quamobrem ego, vt his dubijs ſatisfaciam, reſpondeo, Gennadium Scriptorem fuiſſe

parum

parum de Romana Curia earumue Miniſtris inſtructum, & eò minùs, quò magìs ab ea diſtabat, cùm & eum Presbyterum Maſſilienſem fuiſſe, & Romæ nunquam commoratum, ſat conſtet, quia etiam S. Proſperum Notarium Pontificis facit, confunditque munus Notarij cum illius munere, qui à Secretis eſt. Vlteriùs ignorat, an doctiſſimus Pontifex per ſe, vel interpoſitam perſonam ſcriberet. Addi præterea poteſt Gennadium amore propriæ Nationis deceptum hæc tradidiſſe, audiebat enim S. Proſperum Virum in literis celeberrimum, ac Notarium Pontificis extitiſſe, propterea nullo facto diſcrimine inter Pontificem, & Proſperum, ambos doctiſſimos, ipſum Proſperum Literas dictitâſſe, arbitratus fuit. Dixi amore propriæ Nationis deceptum, id ex ipſiuſmet Scriptis eliciens: nam quando loquitur de Muſæo, & Honorato, & Saluiano, Scriptoribus Conciuibus ſuis, eorum laudibus haud parcit, ſecùs autem cum loquitur de S. Auguſtino, ac S. Hieronymo, vt rectè animaduertit Eraſmus, qui in præfatione ad Catalogum Gennadij, ſic ait: *Hic Scriptor non videtur caruiſſe humanis affectibus, nam D. Hieronymum apertè mordet, fauens Ruffino, & D. Auguſtinum, vt Polygraphum, non ſine faſtidij ſignificatione commemorat, vix eximens eum de numero Hæreticorum, nec vllum opus eius ſine exceptione*

pro-

probat, *præter libros de Trinitate*. Quæ autem ſcripſit Gennadius, cæteri omnes poſt eum Scriptores ſequuti ſunt, quos inter prior eſt Marcellinus Comes, Gennadio quinquaginta ferè annis poſterior. Porrò hic in ſuo Chronico, Indictione I. Viuiano & Felice Coſs, eiſdem fermè Gennadij verbis vtitur, ſcilicet: *Epiſtolæ quoque B. Leonis aduerſus Eutychem de vera Chriſti Incarnatione datæ, ab illo (*videlicet à S. Proſpero*) dictatæ creduntur*. Trithemius verò Abbas, qui floruit in principio præteriti Sæculi, in ſuo Tract. de Scrip. Eccleſiaſt. de eodem S. Proſpero ſic ſcripſit: *Hic B. Leonis Papæ Magni Notarius fuit, & multas in eius perſona Epiſtolas dictauit*. Ab his autem reliqui recentiores eruditionem ſuam hauſêre, ab vnico fonte, videlicet à Gennadio, profluentem. Collatis igitur hiſce Auctoribus, dicendum eſſe puto, S.Proſperum, S.Leonis Magni Notarium tantummodo, non autem ab Epiſtolis fuiſſe; & Epiſtolas, quæ ſub nomine Leonis circumferuntur, veras, & genuinas ipſius Pontificis eſſe: ſed iam vnde diſceſſimus, redeamus. Principes Viros vt plurimùm aliorum miniſterio in Epiſtolis conſcribendis vſos fuiſſe, vnicum tantùm breuitatis causâ clariſſimum teſtem afferam, magnum Aurelium Caſſiodorum, qui Theodorici Oſtrogothorum Regis à Secretis fuit, cuius adhuc per hominum ma-
nus

nus impreſſi duodecim variarum Epiſtolarum libri circumferuntur; cæterùm penè innumera ex antiquo deducta praxis ſufficere pôteſt.

Iuſtam verò dici minimè poſſe iudico ſupra relatam Cenſuram, videlicet Epiſtolam hanc Damaſi genuinam non eſſe, quia barbaro ſenſu incondita eſt, quo ad illa verba: *Gaudet Eccleſia tuo fonte iam ſatiata, & ampliùs ſitit curioſitas temporum Sacerdotaliûm*: Quid enim (ait Cenſor noſter) ſignificant hæc verba: *Sitit curioſitas temporum Sacerdotalium?* ſi dixiſſet: *ſitit curioſitas Sacerdotum*, ſenſus fuiſſet optimus; ſed *ſitit curioſitas temporum Sacerdotalium*, nec ſenſum reddunt, nec Damaſo Papæ adſcribi poſſunt, cuius elegantiſſima ſcribendi methodus eſt longè aliena à ſimilibus impoſturis. Pace tamen amici, ac doctiſſimi Viri, reſpondeo, tantum abeſſe, vt phraſis iſta inelegantiam, ac impoſturam oleat, vt potiùs ipſo etiam Damaſo digna ſit: quid enim aptius, elegantiuſque in familiari Laconica Epiſtola de Hieronymo dici potuit, quam: *Gaudet Eccleſia tuo fonte iam ſatiata?* nonne fontes Eccleſiæ Doctores ſunt, de quibus dicitur in Pſalmo 150. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris?* Hæc enim verba myſticè exponens Bruno Epiſcopus Herbipolenſis, fontium Saluatoris nomine Apoſtolos, & Euangeliſtas, ac Patres intelligi aſſerit in Epiſtola ad Pſalterium à

Ioan-

Ioanne Cochlæo inſtauratum in Bibl. PP. tomo 18. Quiſnam autem maior magno Hieronymo fons? ne dicam altum Doctrinarum Euangelicarum Oceanum, quem iure meritò S. Matris Eccleſiæ Bibliothecam Scriptores paſſim deprædicant? Notanda hinc peculiariter eſt connexio Epiſtolæ ad poſteriora verba cenſuræ ſuppoſita, videlicet, *Sitit curioſitas temporum Sacerdotalium*. Nam cum Hieronymus Romæ agens, multa egregia opera iam elucubrâſſet, vt tradit Baronius ad Annum 382: quæſtionem ſcilicet *de Oſanna*: appendicem ad quæſtionem *de Seraphim*: tractatum *de filio Prodigo*: item tranſlationem duarum Originis Homeliarum in Cantica Canticorum: Emendationem quoque quatuor Euangeliorum editionum inter ſe diſcrepantium, & alia plura, inclytaque, & Eccleſiæ apprimè vtilia reliquiſſet; cùmque etiam abſens plurima elaboraret, ideo veriſimiliter congruum Damaſus exiſtimauit, petenti Hieronymo Geſta Pontificum, reſpondere, quod licèt Eccleſia eloquentiæ, ac doctrinarum eius fonte ſatiata eſſet, ſitiebat adhuc temporum Sacerdotalium curioſitas: quod elegantiùs meo iudicio dictum eſt, quàm ſi diceretur *curioſitas Sacerdotum*. Fortaſſe enim Damaſus animo voluens grauiſſima primæuæ Eccleſiæ tempora, & perſecutionis calamitates, præcipuè verò Diocletianæ, omnium maximæ,

qua

qua eouſque Tyranni immanitas, ac furor deſæuijt, vt omnes Codices ad Chriſtianam Religionem ſpectantes publicè cremari iuſſerit, quod ſe vidiſſe in Oriente declamat Euſebius Hiſt. Eccl. Lib. 8. Cap. 2. inter ea, ſuaque tempora, vti rerum, ſic nominum varietatem, diſtinctionemque habendam putauit; nec priora, in quibus furor, impietaſque regnauerat, Sacerdotalia appellanda fuiſſe, ſua verò, iure Sacerdotalia dici potuiſſe, cùm iam ſedatis, diſſipatiſque perſecutionum turbinibus per Conſtantinum Magnum, in Eccleſia Dei pax ſumma vigeret, inque ea Sacerdotium; ita vt Eccleſiaſticis Viris ſua munera tutò exercere, Sacra miniſtrare, deperditaque Fidelium inquirere monumenta, quod nefas ante, fas eſſet. Cui ſanè loquendi modo in Epiſtola familiari, quid inculti, ac indigni vel eiuſdem Damaſi ſtylo, ſi hanc illi immediatè tribueremus, imputare quis valeat? deinde verò prædicta Epiſtola hæc habet: *Veruntamen Geſta Pontificum, quæ potuimus reperire in noſtræ Sedis ſtudio, ad tuam charitatem gaudenter direximus.* Quorum verborum tenor ſatìs admodum petitioni Hieronymi conſonus eſt; rogauerat enim Damaſum, vt Geſta Pontificum à Beati Petri Apoſtoli Principatu vſque ad ſua tempora, ſibi tranſmitteret, vt cognoſceret, quis ex Epiſcopis Apoſtolicæ Sedis Martyrio meruerit coronari. Hierony-

mus enim; ſi quid inueſtigari coniecturâ poteſt, texendo tunc temporis Martyrologio vacabat, quod ab ipſo compilatum, & abſolutum eruditè probat Henricus Valeſius in ſua Diſſertatione, quam habes in fine Annot.ad Euſeb. Perpendenda enim ſunt verba illa, *noſtræ Sedis ſtudium*. Damaſus enim, vt obſeruauit Lambecius, non appellat *ſtudium ſuum*, ſed Apoſtolicæ Sedis, quia ipſe præfatum Catalogum non conſarcinauerat, ſed ab alio ex Apoſtolicæ Sedis ſtudio, ideſt diligentiâ factum, direxit. Alludere fortaſſe Damaſus hìc voluit ad Protonotarios, qui Clementis Papæ iuſſu Martyrum, Acta deſcribebant. Particulari etiam animaduerſione digna ſunt verba illa Damaſi: *Quæ potuimus reperire*. Satìs enim ſuperque indicant eius temporis difficultatem Codices reperiendi, quos plurimi Chriſtianorum edictis, & minis territi, iuſſique, Tyrannorum Miniſtris tradebant, à quibus, vt diximus, hæc ſanctiora fidei noſtræ pignora, monumentaque igni abſumenda dabantur; adeo vt ad cohibendam vtcumque, vel improbandam hanc Sacros Libros tradendi noſtrorum facilitatem, quicumque hoc egiſſent probroſo nomine Traditorum appellarentur.

In aperto quoque eſt Damaſi eiuſdem ſolertia, ſanctiſſimaque in earundem Scripturarum reliquijs conquirendis, colligendiſque ſolicitudo, qua tamen

men vix breuem illam Epitomen, notulamque primo Catalogo iam ſupra tributam, potuit Hieronymo poſtulanti tranſmittere, vt obſeruauit etiam ſupra laudatus Lambecius in dicta ſua *Bibliotheca Cæſarea* Tom. 2. pag. *96.* cuius ſententiam hìc repetere incongruum non erit. Hic ergo Catalogus (inquit Lambecius) *qui, licèt diuerſis temporibus & à diuerſis Auctoribus componeretur*, ordine *tamen &* ſtylo, *vt in aliarum ſolennium tabularum continuatione plerumque fieri ſolet, vbique ſibi erat ſimilis, latuit reconditus in* Tabulario *ſiue* Archiuo Baſilicæ Vaticanæ S. Petri *Apoſtolorum Principis vſque ad Pontificatum* S. Damaſi. *A quo cùm* S. Hieronymus *per ſupra exhibitam* Epiſtolam *petijſſet, vt Acta Pontificum Romanorum à* S. Petro *vſque ad ſua tempora ſibi enarraret, curauit is antiquam iſtam Hiſtoriam Pontificalem ex* Tabulis Vaticanis *deſcribi, &* Româ *mitti* Hieroſolymam; *ideoque eam in reſponſo ſuo ad* S.Hieronymi *Epiſtolam non appellat* STVDIVM SVVM, ſed SEDIS APOSTOLICÆ STVDIVM. *Sic enim re verâ interpretanda ſunt hæc verba*: Tamen, quod geſtum eſt, quod potuimus reperire, Noſtræ Sedis ſtudium, ad tuam Charitatem gaudentes direximus. *Ipſe igitur S. Damaſus non compoſuit Hiſtoriam illam Pontificum Romanorum, ſed* Studio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ *indè à* S. Clementis I. *temporibus ex diuerſorum*

annotationibus paulatim conflatam, publici tantùm fecit iuris, & cum S. Hieronymo *communicauit, eamque ob rem haud mirum eſt, nullam eiuſdem Hiſtoriæ fieri mentionem à* S. Hieronymo *in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, vbi agitur de* S. Damaſo; *vtpote cùm is eam non compoſuerit.*

Neque vrgeat hic argumentum illud, quòd etiam admiſsâ Epiſtolarum veritate, cùm Catalogus Damaſo adſcriptus, non contineat niſi duobus tantum locis Martyria, atque ideo petitioni Hieronymi non reſpondeat, ſuſtineri non poſſit. Nam præter illa duo loca, ſunt & alia duo, adeoque quatuor, in quibus Martyria exprimuntur; nempe SS. Petri & Pauli, Pontiani, Fabiani & Sixti Pontificum. In aliquibus etiam Locis non ſolùm ipſorum Pontificum, ſed & aliorum Geſta narrantur. Scribitur enim in Fabiano, quòd Regiones Diaconibus diuiſerit, quod fabricas per Cœmeteria iuſſerit, & poſt eius Paſſionem, Moyſes, & Maximus Presbyteri, & Nicoſtratus Diaconus comprehenſi, & in carcerem miſſi fuerint, item quòd eo tempore ſuperuenerit ex Africa Nouatus, & ſeparauerit ab Eccleſia Nouatianum, & quoſdam Confeſſores, & quòd Moyſes Presbyter in carceribus vltimam vitæ ſuæ diem clauſerit. Legimus quoque in Lucio, ipſum primò exulâſſe, deinde ad Eccleſiam reuerſum fuiſſe. In Marcellino Pontifice

tifice, notatur perſecutio. In Pio, Hermetis fit mentio, & quòd ſcripſerit Librum ea continentem, quæ eidem ſub Paſtoris habitu Angelus imperauerat, quem tamen librum ſcio reprobatum fuiſſe in Concilio Romano, Gelaſio Summo Pontifice præſidente, vt habetur in Cap. *Sancta Rom. Eccl.* Diſt. 15. In Pontiano etiam habemus, Pontianum Epiſcopum, & Hippolytum Presbyterum fuiſſe in Inſulam deportatos. Ex quibus non inconſultè conijci poteſt, Damaſum eo modo, quo Catalogum illum reperijt, Hieronymo tranſmiſiſſe; quippe ab vltima Perſecutione vſque ad Damaſi creationem non interceſſerunt niſi 53. circiter anni; quo præ breui temporis ſpatio poſt datam Eccleſiæ pacem, non ita fortè diſtinctæ, & prolixæ notitiæ Vitarum Romanorum Pontificum colligi potuerunt, cùm Pontifices Damaſi prædeceſſores potiùs in deſcribenda certa norma Eccleſiæ circa dogma & Eccleſiaſticos ritus, quàm in eo quòd conſarcinarentur hiſtoriæ, intenti eſſent. Huic coniecturæ fidem facit illorum temporum Eccleſiaſticorum Scriptorum raritas.

Hactenus Epiſtolam Damaſi expendimus, nunc ad Hieronymi Epiſtolam deſcendamus. Hæc autem pariter vt apocrypha ex ſtyli humilitate reijcitur, gratis verò, & verbo tantùm. Quod enim aiunt, Epiſtolam hanc abhorrere à ſtylo Hierony-

mi,

mi, quem Tullianum ſapere ſcimus, ac longè breuiorem eſſe, quàm eius ſcribendi mos erat: reſpondeo, non ita facilè ſtylum dijudicari poſſe ex duabus, vel tribus Epiſtolæ Familiaris periodis, cùm breuitas omnem penè ſcribendi elegantiam excludat. Si autem præfatam Epiſtolam ideo ſuſpectam habeas, quia breuior eſt, quàm Hieronymus literas ſcribere conſueuerit, nimis acerbè agis, cùm Epiſtolarum nulla menſura ſit, ſed iuxta rei exigentiam, modò breuiores, modò fuſiores ſcribantur, quod in ipſomet Cicerone animaduertimus, qui quandoque etiam breuiſſimas literas exarauit, cuiuſmodi ſunt illæ ad Baſilium, ad Terentiam, & aliæ id generis.

Addo etiam, quòd eadem Epiſtola à Dauide Blondello, maximo noſtri temporis Cenſore, in fine ſuorum Prolegomenon abſque vlla cenſura refertur, ex quo colligo, quòd licèt dubitauerit, non potuit tamen legitimas dubitandi cauſas apponere: Aliud quoque ad id probandum argumentum deſumitur ex ſilentio Cl. Viri Antonij Poſſeuini in ſuo *Apparatu Sacro*, Verbo *Damaſus*, vbi de nonnullis Epiſtolis falsò Damaſo adſcriptis diſſerit, ac prædictarum nullam facit mentionem, quare ex huiuſmodi ſilentio quis non videat Poſſeuinum, Virum in Sacris eruditionibus verſatiſſimum, ambas has Epiſtolas genuinas exiſtimâſſe?

Ita-

Itaque cumulatis omnibus, contractiſque rationum noſtrarum momentis, habemus vnde aſſeri liceat controuerſas Damaſi & Hieronymi Epiſtolas, genuinas atque germanas eſſe, illamque Damaſi, ſtyli eius proprij, vel ſaltem illius, qui ipſi ab Epiſtolis eſſet: quandoquidem neque materies, neque ſtylus,neque verborum ſenſus repugnat. Pro maiori etiam dictorum robore,adijcimus,quòd in cenſuris ferendis, baſis, & fundamentalis intentio eſt, nullum opus tanquam apocryphum iure exiſtimandum, niſi prius aliqua ratio allegetur, qua tale, opus confictum, ſeu falsò alicui Auctori attributum, adiudicetur; nemo enim ſibi vnquam ſuaſit, opus aliquod, aut actionem effingi poſſe, niſi ad hæc effingenda Auctor aliquâ vtilitate, vel aliâ causâ impulſus fuerit.

Cùm igitur nulla appareat ratio, per quam elici poſſit, quòd ambæ Epiſtolæ efficłæ fuerint, genuinæ propterea exiſtimandæ ſunt.

Etſi allegetur, eaſdem Epiſtolas efficłas fuiſſe ad inducendam fidem Catalogo, cui ipſæ Epiſtolæ præmittuntur, vt ille reputaretur, quem S. Damaſus ad D. Hieronymum miſit; inane prorſus eſt dubium, quoniam licèt eædem Epiſtolæ veræ eſſent, aut pro veris habitæ, non ob hanc cauſam ſequitur, huiuſmodi Catalogum eſſe illum, cuius in dictis Epiſtolis mentio fit, dum ex ipſis Epiſtolis id non conſtat. Cæte-

Cæterùm obiectiones, quæ ſæpè laudatis Epiſtolis quoad ſtylum opponuntur, nihil concludunt, quoniam Eraſmus & Labbe nullâ allegatâ ratione, ſicco calamo prætereunt, ſolùm exclamantes, & admirantes. Primus de Epiſtola S. Damaſi, inquiens: *Quæ fuit imprudentia hoc tribuere Damaſo?* ac illius S. Hieronymi: *Quis ſperauit futurum, vt hæc Epiſtola, quâ nihil potuit fingi inſulſius, nec indoctius, nec infantius, à quoquam pro Hieronymiana legeretur?* Secundus verò aſſerens, quòd: *Suppoſitæ, apocryphæ, & ineptiſſimæ viris doctis habentur, tantumque à ſtylo Damaſi, & Hieronymi diſtant, quantùm Cœlum à terra, & Polus Antarcticus ab Arctico.*

Papebrochius in conſarcinandis Sanctorum Vitis eorundemue hiſtorijs texendis intentus, minùs accuratè varietate rerum diſtractus cenſuram Epiſtolis factam examinauit; quare bonâ fide Palinodiam cecinit, aſſerens has Epiſtolas non eſſe Damaſi, neque Hieronymi, quia ſunt ſtyli hiulci, & inculti; quale autem ſit hoc hiulcum, ac ſtyli neglectus non oſtendit, pro auctoritate adducit ſupra memoratam cenſuram, quæ, vt diximùs, innititur illis verbis: *Sitit curioſitas temporum Sacerdotalium*. De quibus aliquid iam ſupra expoſuimus, & hìc ſuperaddimus pro *temporibus Sacerdotalibus*, poſſe intelligi Chronologiam Sacerdota-

lem,

lem, ſiue *vt me melius explicem* Chronicon Eccleſiaſticum. Et hæc pro harum Epiſtolarum defenſione ſufficiant.

SECTIO VNDECIMA.

Summa totius Examinis.

POSTQVAM in perquirendo Vitarum Pontificum Auctore, qui vulgò dicitur *Anaſtaſius* vtpote, qui earum Codici præfigatur, ſatis, vt mihi videtur, elaborauimus, & intricatiſſimum multarum rerum, ad quas ſumus neceſſariò digreſſi, labyrinthum euaſimus: vt omnia ſub oculos vnico obtutu cadant, eorum hìc breui ſtylo epilogum ſubijcere, non inopportunum arbitramur.

Primò igitur omnium, quos de hac re verba feciſſe ſciremus allatis ſententijs, mox pro ijs elucidandis oſtendimus, quid obſeruandum potiſſimum ſit, vt certior de alicuius Auctoris ſtylo, cenſura ferri poſſit, quo poſito ad comparationem certi Anaſtaſiani ſtyli Vitarum Nicolai I. Hadriani II. & Stephani VI. deuenimus. Deinde etiam

Nicolai Vitam cum Anaſtaſij ſcriptione concordiam habere firmauimus: illas verò Hadriani II. & Stephani VI. differre. Præterea curſim, peculiarem comparationem inſtituimus aliarum Vitarum, cum illa Nicolai I. tum concordiam, & diſcrimina, quæ cognouimus, præuijs animaduerſionibus patefecimus. Explorauimus indè Geſtorum Hadriani II. & Stephani VI. Auctorem, quem Zachariam Bibliothecarium fuiſſe ſuſpicati ſumus, hinc indagantes rationem, cur Anaſtaſius adhuc viuens has duas poſteriores Vitas non exarauerit, id probabiliter accidiſſe conjecimus ob aliarum rerum molem, qua tunc temporis premebatur. Cauſam etiam indagare conati ſumus, cur multæ Vitæ rudi ſtylo conſcriptæ ſint, quòd ſæculorum, ingeniorumque infelicitati tribuimus, quæ graſſantibus vndequaque, præſertim verò in Italia ſæuiſſimis bellis, exteriſque Nationibus, huc ingruentibus, omnem cultum, ſpeciemque purioris, elegantioriſque ſermonis in turpem aſperitatem, barbariemque mutauerant.

Denique demonſtrare conati ſumus Epiſtolas Damaſi ad Hieronymum, & Hieronymi ad Damaſum, quæ primum Romanorum Pontificum Catalogum reſpiciunt, Sanctorum doctiſſimorumque virorum non abs re dici, & eſſe poſſe germanas.

Propterea ex omnibus his, quæ ſunt à nobis hucuſque tradita, coniecturiſque quas ipſi habuimus,

mus confirmata: Anaſtaſium Bibliothecarium non niſi paucas Romanorum Pontificum: ſcilicet Gregorij IV. Sergij II. Leonis IV. Benedicti III. & Nicolai I. Vitas elucubrâſſe; cæteras verò, quæ Gregorium præcedunt, & Nicolaum ſequuntur, diuerſis ab Auctoribus confectas fuiſſe concludimus. Veruntamen licèt à pluribus exaratum Codicem Romanorum Pontificum exiſtimemus: nihilominus vt autographo, genuiniſque è ſcripturis excerpto maximam, ac ſummam fidem eidem habendam eſſe cenſemus; præcipuè cum propter antiquitatem eximiæ venerationis ſit, conſtantemque hiſtoriam Contineat, quam tot ſæculorum conſenſu Eccleſia recepit, vtpote quæ literis conſignata fuerit à Scriptoribus, qui vel Pontificibus, quorum Geſta ſcripſere, coæui, vel paulò iuniores fuerunt.

Hæc igitur, benigne Lector, mea ſententia eſt, quam diſcuſſis aliorum opinionibus teneo, ipſam tamen Eruditorum virorum iudicio, ac cenſuræ, hilari, vt decet, animo ſubijcio, eoſdemque deprecor, vt ſi quid magis congruum reperiant, libenter nos doceant. Malumus enim diſcendo proficere, quàm inconſultâ, & inutili pertinaciâ opinionem noſtram tueri.

SECTIO DVODECIMA.

In qua Anaſtaſius Bibliothecarius ab Hetero- doxorum calumnijs vindicatur.

QVIA Librum Vitarum Romanorum Pontificum, qui ſub Anaſtaſij nomine circumfertur, ſuis Auctoribus, licèt eorum ignorentur nomina, huc vſque reſtituere conati ſumus, decet modò eundem Anaſtaſium ab Hæreticorum Calumnijs, quibus eius fides & gloria denigratur, vindicare. Horum enim qui cum Anaſtaſio mitiùs agunt, vt Hermannus Conringius in ſuo tractatu de Electoribus Rom. Imperij, maximum Dignitatis Pontificię Aſſertorem, Anaſtaſium appellant, qui verò de eodem temerè agunt, Auctorem ſuſpectum eſſe aſſerunt, vtpote qui ſua ſcripta ex vetuſtis quibuſdam ſcripturis apocryphis, repertis in ſcrinijs Pontificiæ Bibliothecæ, cui præerat, modò in Domini ſui fauorem eſſent, conſarcinauerit. Huius ſententiæ fuit à Catholica religione alienus, Carolus Molinæus, vt refert Hoſpinianus, ipſius Sectator, in ſuo tractatu *de*

Origine Templorum Lib. 2. Cap. 14. §. 7. editionis Geneuenſis An. MDCLXXII. Verùm hi cæterique eiuſdem farinæ homines, cùm nihil aliud ob oculos habeant, quàm Apoſtolicam Sedem calumnijs diuexare, nodum in ſcirpo quærunt, vt ipſam ſi lacerare non poſſunt, aliquâ ſaltem parte eius famam denigrent.

Cogor hìc etiam Catholici quidem; ſed à Molinæi ſententia, vt opinor, decepti, duram cenſuram, ſeu potius calumniam referre Petri Halloix, qui ſuam inconſultè contrà Anaſtaſium, ſiue Librum Pontificalem protulit opinionem; hæc ſcribens: *Quæ cùm haud ſàtis cohæreant: meliùs vt quidem ſentio, credetur Euſebio, & veteribus Martyrologijs, atque Chronographis, quàm Anaſtaſio Bibliothecario, aut eius libro.* De Romanis Pontificibus, *qui falsò attributus Damaſo Papæ, plurimos ante hac decœpit, & hìc præcipuè in re non parua, ſed longè maxima, per Seuerinum Binium editorem Conciliorum, qui licèt errorem animaduertit, non tamen deſtiterit ante omnium Pontificum Vitas vſque ad Nicolaum I. Præfigere titulum hunc:* Ex libro Pontificali Damaſi Papæ, *cùm Damaſus talem Librum ſcripſerit nullum: ſed illæ omnes Vitæ à dicto Anaſtaſio ſint deformatæ, & fœdis hallucinationibus plenæ.* Hanc ego cenſuram, quamuis inuitus, appoſui, ne mihi vitio tri-

tribueretur, quòd ab hoc etiam Auctore inultum Anaſtaſium relinquam.

Cæterùm hæ meræ, turpiſſimæque impoſturæ ſunt, cùm ne vmbratili quidem vlla ratione fulciantur.

Enimuerò ſi ſedulò hiſtoriam hanc, vt ipſi fecimus, Molinæus, ac Petrus Halloix examinâſſent, vtique ab his calumnijs inferendis abſtinuiſſent, liquidò enim noſſent eas Vitas non vnicè Anaſtaſium ſcripſiſſe, ſed alios quamplures.

Quapropter eſto quidem, quod nefas aſſerere, Anaſtaſium ſcripturis Apocryphis vſum fuiſſe, ante alios omnes hac labe ſordere, & mendaces eſſe aliquis dixerit?

Porrò ſi id admittas, Hiſtoricorum quorumcunque fides labat: dici enim poteſt eorum quemque ea ſolummodo tradidiſſe, quæ ſuis Regnis, ac Regibus fauent, atque adeo falſa eſſe, & ex fictis, apocryphiſque ſcripturis deſumpta.

Hoc autem contendere quàm turpè ſit, quàm inuiſum, latere neminem arbitror, cum omnium Scriptorum potiſſima, atque vna meta veritas ſit.

Hiſce profectò tam ſubdolæ, tamque improbæ mentis hominibus aptari poſſe videtur Parabola Euangelica, quam refert Matth. Cap. 13. num. 24. nempe: *Simile factum eſt Regnum Cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo. Cùm au-*

autem dormirent homines, venit inimicus eius, & ſuperſeminauit zizania. Accedentes autem ſerui Patrisfamilias dixerunt ei: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? vnde ergo habet zizania? & ait illis inimicus: homo hoc fecit. Nonne inimicus homo deſcriptus in hac parabola eos reſpicit, qui talem tantamque cordibus inſitam habent Romano Pontifici Chriſti Vicario, cunctiſque, qui eiuſdem auctoritatem, & iura ſcriptis, ac verbis propugnant detrahendi, eoſdemque calumniandi libidinem, vt veritatem ipſam varijs ac fallacibus velaminibus deturpare, & obtegere enitantur, maligna Zizaniæ ſemina proijcientes, vnde infeliciſſima posteris errorum meſſis exuberet? Ita inter cæteros egit ſupracitatus Carolus Molinæus, cuius noxiorum ſeminum fructus ſupra relatus Hoſpinianus ac fortaſſe etiam Petrus Halloix collegit, & nuperus Scriptor Daniel Francus in ſua Diſquiſitione Accademica *de origine prohibendi libros* cap. 4. num. 62. vbi conatur oſtendere, Anaſtaſium Bibliothecarium, in Præfatione ad Vitam Sancti Ioannis Eleemoſynarij, quæ habetur apud Bollandum in Actis Sanctorum Menſis Ianuarij ſub die 23. fœdiſſima adulatione erga Nicolaum I. Pontificem vſum fuiſſe, quæ tamen haud in alio conſiſtit, quàm in quibuſdam epithetis Summo Pontifici debitis, vt pote *Vicarij Dei, Clauigeri Cœli,*

Auri-

Aurigæ Spiritualis Iſraëlis, Vniuerſalis Pontificis; Vnici Papæ, Singularis Paſtoris, ſpecialis Patris; omnium Arbitri, tenentis claues Dauid, habentis claues Scientiæ, in cuius pectoris Arca Tabulæ Teſtamenti, & Manna Cœleſtis ſaporis requieſcunt, illius enim, qui quod ligat nemò ſoluit, quod ſoluit nemo ligat, qui aperit, & nemo claudit; Claudit, & nemo aperit, ac vicem in terris poſſidet Dei. Quænam autem in hiſce epithetis fœda adulatio eſt? vtinam hæc animo pacatiori nuperus iſte Scriptor protuliſſet! nonne S. Ambroſius lib. 10. in Lucam cap. 24. Romanum Pontificem Chriſti Vicarium appellat? S. Ioannes Chryſoſtomus illum in plurimis locis Paſtorem nominat? nonne arbitrum eſſe ligandorum ac ſoluendorum pronunciauit S. Leo ſerm. 2. de ſua aſſumptione? ſed innumera ſimilia immò vniuerſaliora epitheta Romano Pontifici Patres attribuêre, quæ legi poſſunt apud Diuum Bernardum lib. 2. de Conſideratione cap. 8. & lib. 4. cap. 7. quæque vberiùs congeſſit Raynaudus in ſua *Corona aurea* Tom. X. poſtremæ editionis, quod non maximo Iure Summum Pontificem deceat? nonne ex hoc apertiſſimè colligas quanta ſit, quàm altè in impijs cordibus ſedeat calumniandi prurigo?

FINIS.

INDEX EXAMINIS LIBRI PONTIFICALIS.

A

ANaſtaſius Abbas S. Mariæ transTyberim an fuerit Bibliothecarius? 68. 69.
Anaſtaſius Bibliothecarius à quo Pontifice hanc Hiſtoriam incæperit. 62.
Continuator Vitarum Rom. Pontif. 17. Non eſt Auctor totius operis. ibid.
Miſſus Neapolim. 77.
Vir doctus, Græcæ & Latinæ Linguæ peritus. 6. 8.
Vitas Hadriani II.& Stephani VI.non ſcripſit, & cur? 80.
Auctor ſuſpectus ab Heterodoxis appellatus. 108.
Calumniatur à Petro Halloix. 33.
Celeberrimus Auctor Continuationis Hiſtoriæ Roman. Pontif. 17.
Eius humilitas. 60.
C P. Legatus miſſus. 80.
C P. Romam Acta Synodi Octauæ detulit. 81.
Floruit vſque ad tempora Ioannis VIII. 82.
Maximus dignitatis Pontificiæ Aſſertor. 108.
Concilium vniuerſale C P. VII. & Nicenum II. ex Græco in Latinum Sermonem vertit. 81. 82.
Scripſit Vitas Grægorij IV. Sergij II. Leonis IV. ac Benedicti III. Nicolai I. 66. 76. 107.
Solertiſſimus, & candidiſſimus Scriptor. 32.
Vixit vſque ad Annum. 886. 17.
Anaſtaſius Presbyter Tituli S. Marcelli differt ab Anaſtaſio

ſtaſio Bibliothecario . 75.
Argumenta ex quibus elicitur Scriptores Vitarum Roman. Pontif. coæuos fuiſſe cum ipſis Pontificibus, quorum Vitas ſcripſerunt . 70. & ſeq.
Auctoris opinio de Anaſtaſio Abbate S. Mariæ trans Tyberim . 69.

B

Baronij Iudicium de Vita Hadriani II. 52. 61.
Bibliotheca Auguſtiſſimæ Reginæ Suecorum laudatur . 9. 10.
Cæſarea . 8. 13.
Vaticana . 9. 10.

C

Caroli Molinei contra Anaſtaſium Calumnia reijcitur . 108.
Caſſiodorus ab Epiſtolis Theodorici Regis . 94.
Catalogus Sum. Pontif. in Biblior. Palatina Vatic. 9. 11. 12. 23. Idem in Bibliotheca Reginæ Sueciæ . 9. 10. 12. 23. Idem in Bibliot. Cæſarea. 9. Vitarum Rom. Pontif. quomodo conſarcinatus . 15.
S. Damaſo adſcriptus continens quatuor loca in quibus Martyria exprimuntur . 100.
Cenſura Librorum nimis ſeuera mala parit . 1.
Præſentis XVII. Sæculi ad Summum elata faſtigium . 2.
Prima Librorum Eccleſiaſticorum quo tempore fuerit? 2.
Codex Ambrafianus Vitas Rom. Pontif. continens vſque ad Ann. 757. 18.
Sanctæ Cæciliæ citatus . 69.
S. Mariæ ad Martyres . 68.
Concilia Vniuerſalia C P. VIII. ac Nicenum II. ab Anaſtaſio in Latinum ſermonem translata . 81. 82.

Con-

Conradus Ianingus S. I. laudatur. 24.
Continuatio Hiſtoriæ Rom. Pontif. poſt Damaſum paulatim à diuerſis Bibliothecarijs facta. 17.
Curioſitas temporum Sacerdotalium, quomodo intelligendum. 96. 97. 104.

D

S. DAmaſus non compoſuit Hiſtoriam Rom. Pontif. ſed publici Iuris fecit. 16. Illius Epiſtola Examinatur. 95.
Papa ac Poeta: Octogenarius obijt. 14.
Primum Catalogum non ſcripſit, ſed approbauit. 87. Negat Schelſtratus. 88.
Danielis Franci contra Anaſtaſium dicteria reijciuntur. 111.
Daniel Papebrochius S. I. laudatur. 8.

E

EManuelis à Schelſtrate opinio de Epiſtolis S. Hieronymi ad S. Damaſum, & de iſto ad illum. 19. Item de Catalogis Rom. Pontif. 23.
Epiſtola S. Damaſi examinatur. 95.
S. Damaſi genuina demonſtrata. 95.
SS. Damaſi & Hieronymi pro genuinis habitæ. 103.
S. Damaſi Papæ ad D. Hieronymum. 11. 13.
D. Hieronymi ad S. Damaſum Papam. 15. 13. 11.
S. Hieronymi diſcutitur. 101.
S. Leonis contra Eutychē creditur dictata à S. Proſpero. 91.
Epiſtolæ Damaſi & Hieronymi pro genuinis habitæ. 12.
Duæ Anaſtaſij. 55.
Hieronymi & Damaſi ſubiacent cenſuræ Eraſmi. 20.
Sub nomine Sancti Leonis genuinæ ipſius Pontificis reputatæ. 94.
Error Voſſij & Lambecij de Anaſtaſio Presbytero Tituli S. Marcelli. 75.

F

FLorauantis Martinelli Scriptoris Vaticanæ Bibliothecæ opinio de Libro Pontificali. 27.
Fontes Eccleſiæ Doctores ſunt. 95.
Franciſcus Boërtius S. I. laudatur. 24.

G

GEnnadius Presbyter Maſſilienſis parum inſtructus de Miniſtris Romanæ Curiæ 93. Non caruit humanis affectibus. ibid.
Godefridus Henſchenius S. I. laudatur. 8.

H

HAdriani II. Vitæ Auctor quis fuerit. 17.
Hadrianus Papa Anaſtaſio commiſſit, vt Acta Synodi VIII. in Latinum ſermonem verteret. 81.
Henricus Goezius Acatholicus ſcriptor. 88.
D. Hieronymus Commentarium in Abdiam in iuuentute factum, in ſenectute iterum elucubrauit. 40.
D. Hieronymus Damaſi à Secretis. 89.

I

IOannes Ruſſeus S. I. imprimi curauit Librum Pontificalem. 29.

L

LAtina lingua tempore Syluestri Papæ candorem penitus non amiſerat. 46.

De-

Deprauatio illius ob exterarum Gentium irruptiones in Italiam. 85.
Latini Auctores Eccleſiæ Alumni dicuntur. 8.
Latini Sermonis puritas Sexto Sæculo iam perierat. 85. Idem tempore Agatonis Papæ adeo perierat, vt Epiſcopi quotidianum victum ſumma cum exercitatione conquirerent. 85.
Lucas Holſtenius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus laudatur. 9.

M

MArcus Vvelſerus. 7. Non edidit Librum Pontificalem. 28.
Martinelli lapſus circa Anonymum de Bennoglientis. 30.
Martinelli opinio de Anaſtaſio Abbate S. Mariæ transTyberim. 68.

P

PAllium datum Rodigando Archiepiſcopo. 19.
Papebrochius S. I. laudatur 24. Eius & Collegarum opinio de Catalogis Vitarum Rom. Pontif. ibid. Epiſtolas Hieronymi ad Damaſum ac Damaſi ad Hieronymum ad trutinam reuocant. 25. 104.
Petri Halloix contra Anaſtaſium calumnia reijcitur. 110.
Petrus Epiſcopus non Gauinenſis ſed Grauinenſis legendus. 70.
Petrus Lambecius Cæſareus Hiſtoriographus & Bibliothecarius citatur. 13. eius opinio de Libro Pontificali. 14.
Pontificalis Liber quid contineat. 8. 13.
S. Proſper ab Epiſtolis S. Leonis Magni creditus. 91.
S. Proſper non fuit ab Epiſtolis Papæ, ſed Notarius Apoſtolicæ Sedis. 94.
Pyrrhus M. de Gabriellis laudatur. 31.

R

RAphaël Fabrettus laudatur. 19.

S

SCriptor Iuuenis floſculis, lepidis ornatibus, ſalibuſque orationem conſpergit. 39.
Studium Apoſtolicæ Sedis, quid denotet. 16. 22. 97. 98. 99.
Stylus Vitæ Liberij vſque ad Syluerium incluſiuè bonus & fluidus. 46.
A Vigilio vſque ad Martinum excluſiuè mutationem perpeſſus eſt. ibidem.
Martini & Eugenij melior. 47.
Vitaliani & nonnullorum ſequentium Succeſſorum planus & apertus. 47.
Gregorij III. ac Zachariæ diuerſus ab alijs. 48. 50.
Stephani III. alijs nobilior. 48.
Hadriani I., & Leonis III. rudis. 48. 49.
Stephani V. melior. 49.
Paſchalis & Eugenij II. elegantior. 49.
Valentini elegantiſſimus. 50.
Gregorij IV. bonus. 51.
Sergij II. aliquantiſper differt ab illo Vitæ Gregorij. 51.
Leonis IV. & Benedicti III. vt ille Gregorij. 51.
Nicolai I. optimus 54. 56.
Hadriani II. differt. ab illo Nicolai I. 59.
Stephani VI. vniformis cum illo Nicolai I. Sed phraſi ornatior. 60.
Notariorum Sedis Apoſtolicæ planus & apertus. 84.
Stylum inueſtigare non vulgaris ingenij eſt opus. 38.
In Styli collatione quid conſiderandum. 40.
Stylo inueſtigando tria ſunt animaduertenda. 39.

Tem-

T

T*Emporum Sacerdotalium curioſitas*, quomodo intelligendum. 96. 97. 104.
Torquatus Taſſus Poëma ſuum ſenex ad trutinam reuocauit. 39.
Traditores qui. 98.

V

VItæ Rom. Pontif. Gulielmo Bibliothecario ſiuè Pandulpho Oſtiario Lateranenſi tributæ. 5. 28.
Rom. Pontif. à S. Petro vſque ad Liberium S. Damaſo adſcriptæ; reliquæ vſque ad Nicolaum I. Anaſtaſio attributæ. 3.
Rom. Pontif. à S. Petro vſque ad Liberium incerti Auctoris exiſtimantur. 4. Eorumue ſtylus. 45.
Rom. Pontif. à S. Petro vſque ad Liberium à Notarijs Sedis Apoſtolicæ ſcriptæ. 14.
Rom. Pontif. à S. Petro vſque ad Liberium ſcriptæ nonnulli S. Damaſo adſcribunt; reliquas vſque ad Nicolaum Primum Anaſtaſio tribuunt 3. Alij incerti Auctoris, illas eſſe putant. 4. Alij verò Gulielmo Bibliothecario ſeu Pandulpho Oſtiario Lateranenſi aſſignant. 5. Nonnulli omnes Vitas ab Anaſtaſio concinnatas credunt. 6. Aliqui autem docent ex tribus antiquiſſimis Catalogis depromptas fuiſſe. 8.
Vita Nicolai I. plura communia habet cum Vita Benedicti III. 63.
Vitarum Pontif. integra Hiſtoria eſt Anaſtaſij Bibliothecarij vt aliqui putant. 6.

Z

ZAcharias Epiſcopus Anagninus Legatus Apoſtolicus . 78. Eius damnatio & reſtitutio. 79. Bibliothecarius declaratus. 79.

F I N I S.

ERRATA SIC LEGENDA.

PAg. 4. l. 16. lege Paganum 9. l. 21. repererunt 37. l. 8. identitatem 43. l. 5. pingit trasferendum 58. l. 14. aduerbia l. 25. diſſenſio 67. l. 22. quæ 69. l. 24. 82. l. 1. parui 80. l. 11. enucleandum Concilijs 70. l. 16. 92. l. 3. recenſuerat 101. l. 11. reperit 111. l. 5. 86. l. 1. Scripturarum illis; inimicus homo l. 19. Academia.

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE BIBLIOTHECARIORVM

CATALOGVS,

IVXTA CHRONOLOGICVM ORDINEM,

Cum nonnullis Diplomatum Datis, ex quibus varia eliciuntur, quæ Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ plurimum lucis afferunt.

SVPERIORI meo examini de Anaſtaſiano Codice intentus, S. R. E. Bibliothecariorum ſeriem ſumma cum ſedulitate perquirebam, vt noui aliquid, ſi fas eſſet, in medium proferrem, cùm ſubijt animum cogitatio, facturum me rem antiquitatum amántibus gratam, ſi Bibliothecariorum Catalogum huiuſcemodi meo examini adijcerem.

Verùm cùm id ego factum fuiſſe reperirem, non ſolûm á Iacobo Cohellio in ſua Noticia Cardinalatus cap. 38. ſed etiam ab Eminentiſſimo Cæſare Raſpono, in ſua Baſilica Lateranenſi Lib. 3.

cap. 16. hæſi aliquantulum, ac ſtylum ſuſpendere ſatius duxi. Re verò maturiùs perpensâ, obſeruatoque, ſententiam Cohellij ſecutum Raſponum in cap. 14. eiuſdem Lib. 3. aſſerere Bibliothecarium, Archiuiſtam, Cancellarium, Vicecancellarium eſſe vniuſmet rei vocabula, atque omnia eidem prorsùs perſonæ antiquitus conueniſſe, antequam ſcilicet amplificatâ in temporalibus Romani Pontificis ditione, creſcentibuſque ea de cauſa negotijs, ob faciliorem eorum expeditionem, idem officium in multos, veluti ramos, diſtraheretur; ſingulisque eorum propria nomina, commodioris intelligentiæ gratiâ tribuerentur, ita vt qui ſcripturarum cuſtodiam haberent Archiuiſtæ, qui librorum Bibliothecarij, quibus autem hæc eadem non tam confecta aſſeruandi, quàm noua condendi cura commiſſa eſſet, Cancellarij, & Vicecancellarij dicerentur: Prætereaque cùm nos in rerum Eccleſiaſticarum lectione detenti obſeruauerimus Cancellarij munus ab alijs Officijs diſtinctum eſſe, ab eorum opinione declinantes, nouum Catalogum texere conſtituimus. Ab hoc autem omnes illos expungimus qui in hoc Bibliothecarij munus adſcribi minimè debent, nouoſque quamplurimos addimus ex varijs Diplomatum ſubſcriptionibus excerptos; horum quoque in recenſione non ſolùm Chronologicum ordinem obſeruamus, quem

qui-

quidem mendoſum in præmemoratis Scriptoribus inuenies, verùm etiam integras eorundem Diplomatum Datas referimus, ex quarum nonnullis tum loca erues, in quibus Pontifices morabantur, cùm tempus, quo ipſi B. Petri Cathedram rexerunt, necnon quo plures etiam Imperatores regnarunt. Inſuper epitheta Romano Pontifici attributa, inter quæ *Vniuerſalis*, ac *Religioſiſſimi*, necnon alios Pontificum Officiales, quibus Diplomatum expeditiones commiſſæ fuerunt breuiter indicamus, vt clariùs quoad fieri poſſit hiſtoricæ veritatis fulgor eniteat.

Antequam tamen ad promiſſi Catalogi deſcriptionem deueniam, Bibliothecæ Apoſtolicæ originem inquirere, non abs re eſſe cenſeo; quam inquiſitionem de Republica literaria optimè meritus F. Angelus Rocca à Camerino in ſua Bibliotheca Apoſtolica Vaticana tentauit; Sed vberiori, & eruditiori calamo ante illum hanc prouinciam ſuſcepit Cl. Vir Panuinius, cuius ſuper hanc re diſſertationem laudatus Raſponus Lib. 3. Cap. 14. *Suæ Baſilicæ Lateranenſis* inſeruit. Putat igitur F. Angelus Bibliothecam Pontificiam à D. Petro ortum habuiſſe, & à Bibliorum Codicibus, præſertim Euangelijs, Epiſtolis Petri, Pauli, Iacobi, Ioannis, & Iudæ, necnon Apoſtolorum Actis, & Ioannis Apocalypſi, deinde Epiſtolis decretalibus;

vel conſultationibus, ſiue conſtitutionibus ſynodalibus, vel alijs id genus rebus per Summos Pontifices eiuſdem Chriſti Vicarios, & Petri Succeſſores incrementum paulatim accepiſſe. Suam hanc coniecturam D. Hieronymi teſtimonio confirmat, qui aſſerit ex cunctis Chriſtiani orbis partibus ad Archiuum Romanum, in quo Oecumenica Concilia aſſeruabantur, pro dubiorum ſolutione frequenter confugi conſueuiſſe, vel cùm in Canone aliquo quid corruptum, vel deprauatum eſſe iudicabatur. Id etiam ex Epiſtola 14. Lib. 5. Diui Gregorij Magni certum eſſe, qui cùm dubium, ſeu difficultas quædam in Epheſino Concilio orta fuiſſet, *Romani Codices* (ait) *multò veriores ſunt, quàm Græci*. Ex Concilio item Romano Gelaſij tempore celebrato, in quo de Archiuo, & Scrinio Romano, deque Bibliothecarijs, Scribis, Notarijs, & Scriniarijs frequens fit commemoratio, Eccleſiam Romanam ingenti Librorum copia abundâſſe dicendum eſſe. Ex Libro denique Pontificali conſtare, Hilarum Pontificem duas in Palatio Lateranenſi Bibliothecas excitauiſſe, quæ à S. Petro, vt dictum eſt, originem traxerunt; ſubditque paucis interiectis, pro certo habendum, huic Apoſtolicæ, & Vaticanæ Bibliothecæ Virum aliquem & vitæ probitate, ac doctrinâ inſignem præfuiſſe, appellatumque in Romana Curia Bibliothecarium,

&

& Cancellarium aliquando, eiuſque munus fuiſſe Codices omnes accuratiſſimè cuſtodire, Bullas, ſeu Diplomata, vel Epiſtolas Decretales Summorum Pontificum ſcribere, necnon dictare, Actaque Conciliorum, & Synodalia, idque genus alia exſcribere & conſeruare. Quæ item hac noſtra ætate faciunt Sedis Apoſtolicæ Cancellarij, ea omnia Præfectum præſtâſſe, eumque meritò potuiſſe Papæ Amanuenſem, ſiue Scribarum Principem, vel à Secretis nuncupari, Bibliothecamque Pontificiam veluti Cancellariam, ſiue Secretariam quandam fuiſſe.

Denique in appendice ad pag. 307. de veteri Bibliotheca in Lateranenſi Patriarchio olim ſita, quam à Petro ortum traxiſſe diximus, nihil certi affirmari poſſe ait, ſed eam à Succeſſoribus, vel in Bibliothecam S. Petri, vel in Vaticanam fuiſſe tranſlatam putandum eſſe. Romanæ enim Bibliothecæ mentionem facit S. Gregorius Magnus Lib. 7. cap. 29. Scribens ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum. De duabus in Baptiſterio Lateranenſi Bibliothecis à S. Hilaro Papa conſtructis, vt ait Genebrardus, præcipuè verò de Libris Gelaſij Papæ contra Neſtorium, & Eutychem, inibi aſſeruatis, meminit Liber, qui dicitur *Pontificalis*. Hæc eſt Angeli ſententia. Panuinius verò, vt diximus, S. Clementi Bibliothecæ inſtitutionem tribuit ſequentibus verbis: *Romæ*

quo-

quoque vbi fons pietatis erat, Bibliothecas fuiſſe; ex eo apparet, quòd S. Clemens Papa, qui primus poſt Petrum Romanus Epiſcopus fuit, & multas Epiſtolas ſcripſit, quæ ad poſteros tranſmiſſæ ſunt, & in Romana Eccleſia conſeruatæ, & ſeptem Notarios conſtituit, qui ex Eccleſiæ prouentibus nutriti, res geſtas Martyrum diligenter, & ſolicitè perquiſitas deſcriberent, ſinguli in ſuis Regionibus, in quas ipſos deſtinauit. Anterus quoque Papa res geſtas Martyrum diligenter à Notarijs deſcriptas requiſiuit, & in Eccleſia recondidit. Fabianus, qui Antero ſucceſſit, ſeptem Subdiaconos inſtituit, qui ſeptem Notarijs imminerent, vt Martyrum res geſtas in integrum colligerent. Ex Actionibus etiam Synodi Romanæ ſub S. Syluestro Papa celebratæ, apparet, Romanam Eccleſiam Notarios ipſos aluiſſe, qui res geſtas Martyrum diuerſorum conſcriberent. Iulius Papa, qui Marco, Sylueſtri Succeſſori ſucceſſit, conſtituit, vt cuncta, quæ ad Chriſti fidem conſeruandam, propagandamque pertinerent, per Notarios S. R. E. colligerentur, vt ea omnia monumenta à Primicerio Notariorum approbata, in Eccleſia reconderentur. Inſtituit etiam vt in Eccleſiæ Scrinijs (Bibliothecam hauddubiè intelligit) reponerentur Cautiones, Inſtrumenta, Donationes, commutationes, traditiones, teſtimonia, allegationes, & manumiſſiones Clericorum in Eccleſia. Quam conie-

ctu-

ἀuram pluribus alijs grauibus auctoritatibus fulcit. Scio autem Scepticos nonnulla ex allatis in dubium ſuo more reuocaturos, ſed penès ipſos hæc dubitandi prurigo ſit, mea vnica intentio eſt Bibliothecæ Apoſtolicæ inſtitutionem antiquam eſſe demonſtrare, atque adeò eiuſdem cuſtodiam viris commiſſam, qui ab hoc Bibliothecæ curandæ munere, Bibliothecarij nomen ſumpſerunt.

Munus autem Diplomata ſubſcribendi non ſolùm Bibliothecarijs à Summis Pontificibus demandatum fuit, verùm etiam alijs Officialibus. Idque accidiſſe conijcimus, vel ex ipſorum Pontificum placito, vel ex earundem materiarum diſtinctione, cùm vna vni, alteri altera committeretur, prout hodie quoque practicari conſpicimus: multæ enim viæ ſunt per quas Diplomata, vulgò Bullæ, expediuntur, vtpote per Cancellariam, per Cameram, per viam ſecretam, per viam de Curia, per Contradictas, & per Pœnitentiariam; eas verò Literas, quæ non expediuntur ſub plumbo, ſed ſub annulo Piſcatoris, duplicem etiam viam habent, vnam quæ dicitur per Secretariam, alteram per Magiſtrum Breuium, cuius poſtremæ viæ cura mihi ad præſens demandata eſt, prout etiam illa Cameræ, & viæ Secretæ, cui præeſt Summator Literarum Apoſtolicarum; quod quidem munus cùm in præſenti vacet, illius vices ex Summi Pon-

tificis benignitate ipſe adimpleo; quibus adde aliud quo fungor, vnius nempe ex duodecim Abbreuiatoribus, ſiue Aſſiſtentibus Vicecancellario in Literarum Apoſtolicarum expeditione, quæ tranſeunt per Cancellariam. Hæc verò ideò indicaui, quia quandoque vno eodemque tempore, habito reſpectu ad materias, per quas vias tranſeunt, diuerſis Titulis me ſubſcribo. Porrò ad ea quæ diximus confirmanda, ſubſcriptum reperimus Tiberium Primicerium tempore Nicolai I. Sum. Pont. nempe anno. 869. in Priuilegio conceſſo Odoni Epiſcopo Bellouacenſi, à Sammarthanis in *Gallia Chriſt.* relato. Alios quoque Primicerios ſubſcriptos in alijs Diplomatibus refert Vghellius Tom. V. pag. 1180. & Tom. VIII. Pag. 73. & 76. diuerſis temporibus, nempe annis 803. 944. & 946. anno 817. tempore Paſchalis I. Priuilegium ab eodem Pontifice conceſſum, & à quodam Theodoro Nomenclatore S. Sed. Ap. ſubſcriptum oſtendit Margarinus in ſuo Bullario Tom. 2. Conſt. 26. Item apud Sammarthanos in *Gallia Chriſt.* & Archiepiſcopis Narbonenſibus legitur Diploma Stephani VI. aliàs VII. qui floruit Anno 896. in quo nonnulla Priuilegia ſub eodem anno conceduntur Arnuſto ipſius Eccleſiæ Epiſcopo, cuius Diplomatis data, cùm quid peculiare habeat, hìc apponitur.

Da-

Datum XIII. Kal. Septemb. Per manum Stephani Epiſcopi S. Eccleſiæ Nepeſinæ in Arcario S. Sed. Apoſt. imperante Domino pijſſimo Auguſto, Arnulpho à Deo coronato Magno Imperatore anno primo.

Quin etiam Diaconi ſæpè Diplomata ſubſcribebant. In ſæculo enim X. an. 56. ſub Victore II. eſt Aribo Diaconus, vt ex Vghellio Tom. I. pag. 128. & an. 89. Ioannes, quem in eodem officio continuâſſe ſaltem vſque ad annum ſextum XI. ſæculi, deduco ex pluribus locis eiuſdem Vghellij. Poſtea idem munus demandatum fuit cuidam Chryſogono, & alijs vt plurimum Diaconis Cardinalibus, vſque ad annum nonum ſequentis ſæculi XII.

Quandoque etiam eo munere functi fuere S.R.E. Subdiaconi, vt tempore Caliſti II. qui florebat Anno 1123. ex eius Conſtitutione apud Margarinum 147. in qua cuiuſdam Vgonis mentio extat ab Anno 1162. vſque ad Annum 1177. Reperio ſucceſſiuè Hermannum, ac Gratianum Subdiaconos Diplomata ſubſcripſiſſe, ac in fine huius ſæculi fuiſſe Diaconos. In principio verò ſæculi XII. vltra Subdiaconum video ſub An. 1202. Blaſium Archiepiſcopum Turritanum abſque vlla muneris mentione ſe ſubſcripſiſſe in Diplomate Innocentij Papæ III. ex Vghellio Tom. I. pag. 917.

B an-

annis verò 1222. 1223. & 1224. Guidonem Papæ Capellanum, & Anno 1227. Zinibaldum Auditorem Contradictarum. Quare in ſæculo XI. & principio XII. promiſcuè, vt videre eſt, Diplomata ſubſcripſere modò Diaconi, modò verò Subdiaconi, interdum Scriptores Apoſtolici, aut Cancellarij, aliquando Vicecancellarij, necnon Cardinales, & quandoque etiam Capellani Papæ. Verùm poſt memoratum Zinibaldum, nullum aliud Diploma reperio cum huiuſmodi ſubſcriptionibus, cuius ratio eſt, quia Datæ formula immutata eſt, cùm tantùm ponerentur locus, menſis, & annus Pontificatus omiſſis alijs; exempli gratia.

Datum Laterani X. Kal. Decemb. Anno VII.

Hæc autem ſubſcribentium varietas atque immutatio magnam obſcuritatem in Chronologia, & Hiſtoria peperit, vt exemplo eſſe poſſunt Diplomata Alexandri III. Anno 1177. publicata, ex quorum Data eiuſdem Alexandri III. publicæ moræ in Ciuitatibus Ferrariæ, & Venetiarum Hiſtoria patefit, contra eos qui ſcribunt clam Venetias ſe recepiſſe. Vltra Diplomatum datas, quæ ab Eccleſiaſticorum Annalium Conditore Baronio ad Annum 1177. referuntur, alias, quas eruimus ex Vghellio, adijciemus, vnde Baronij coniecturis aliquid roboris accedet. Duo igitur præmemora-

morati Pontificis Diplomata cum Cardinalium ſubſcriptionibus lego, vnum Ferrariæ datum, quod eſt inter Veronenſes Archipresbyteros Tom. V. pag. 1075. cuius Datæ is tenor.

Datum Ferrariæ per manum Gratiani S. R. E. Subdiaconi, & Notarij Kal. Maij Indict. X. Incarnat. Dominicæ Anno 1177. Pontificatûs verò D. Alexandri Papæ III. Anno XVIII.

Alterum tempore poſteriûs, inter Anconitanos Epiſcopos cum ſimili, immò copioſiori ſubſcriptione, quia quatuor Cardinales vltra ſupramemoratos reperiuntur, ac ſequens Data.

Datum Venetijs in Riuo alto per manum Magiſtri Gratiani S. R. E. Subdiaconi & Notarij IV. Kal. Iulij Indict. X. Incarnationis Dominicæ Anno 1177. Pontificatûs verò D. Alexandri Papæ III. anno XVIII.

Sed iam tempus atque ipſa res poſcere à nobis videtur Catalogum Bibliothecariorum, quem ſupra promiſimus, ac ideo modò exhibemus: Accephalum tamen & interruptum hiſtoriâ deficiente, quamuis alijs omnibus, qui ad hæc vſque tempora præceſſere, vberior ac omnium Officiorum diſtinctione clarior futurus ſit.

DLXXX. Primus igitur, quem reperij apud Raſponum, narrantem ſe ex quodam priuilegio Monaſterij S. Mariæ in Organo Veronæ hanc no-

titiam deſumpſiſſe Summæ & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius eſt Laurentius Presbyter Cardinalis tituli . . . . Sub Pelagio II. an. Dom. 580.

DLXXXXV. Poſt hunc legimus quendam Ioannem Leuitam ſubſcriptum, in quadam Confirmatione omnium Priuilegiorum cum conceſſione vsûs Pallij factâ à Summo Pontifice Gregorio Magno, Mariniano Archiepiſcopo Rauennatenſi in Synodo Romana habitâ anno 595. Hanc Confirmationem refert Vghellius in ſua *Italia Sacra*, vbi agit de Archiepiſcopis Rauennatenſibus, in Vita eiuſdem Mariniani num. 34. ipſiuſque Confirmationis Data ſic ſe habet.

Datum IX. Kal. Aprilis Romæ per manus Ioannis Leuitæ, & S. R. E. Bibliothecarij.

DC. Petrum Romanum Diaconum facit hoc anno idem Raſponus Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarium ex Regiſtro eiuſdem Monaſterij S. Mariæ in Organo Veronæ.

DCXC. Gregorius Marcelli filius Romanus Diaconus Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius ſub Sergio I. Ioanne VI. & VII. Syſinio & Conſtantino Romanis Pontificibus, qui poſtea creatus Pontifex an. 714. Gregorius Secundus fuit, vt ex ipſius vita in Libro Pontificali deſcripta.

DCCXLII. Benedictus Epiſcopus Syluæ Candidæ

didæ ſubſcripſit cuidam Confirmationi factæ Monaſterio, Caſſinenſi de quibuſdam bonis oblatis eidem Monaſterio, vt ex Conſtitutione 7. Bullarij Caſſinenſis Tom. 2. cuius Data hæc eſt. Scriptum per manus Leonis Notarij, & Regionarij, atque Scrinarij Chariſſimæ R. E. in Menſe Ianuario per Indictionem ſubſcriptam ſecundam: Bene valete.

Data XII. Kal. Februarij per manum Benedicti Epiſcopi Syluæ Candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Sed. Ap. anno Deo propitio Pontificatûs Domini Noſtri Zachariæ Summi Pontificis, & Vniuerſalis Papæ in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli Anno II. in Menſe Ianuario Indict. ſupraſcripta II.

DCCXCV. Hoc anno quemdam Anonymum ſubſcripſiſſe reperio in diplomate Leonis III. Carolo Magno conceſſo, in quo continetur Priuilegium Capellæ in Eresburg. eius Data ſequens eſt ex Baronio ad Annum 790. in fine, ac ex Labbeo Tom. 7. Concil. Pag. 1112. Data Eresburg. per manus Bibliothecarij, & Cancellarij Eccleſiæ Romanæ. VII. Kal. Ianuarias anno Domini . . . Leonis III. 4. Indict. 7. die dedicationis Capellæ in Eresburg. Ex qua Data inter Bibliothecarium, & Cancellarium diſcrimen apertè colligitur. Notat Baronius Indictionem eſſe erratam, ac loco ſeptimam, octauam ponendam.

Ex

DCCCXV. Ex Priuilegio Leonis III. conceſſo Abbati Monaſterij S. Benedicti de Cuperſano relato ab Vghellio in Vita Hilarij Epiſcopi Cuperſanenſis, habetur hæc Data.

Datum Romæ in Monaſterio S. Anaſtaſij, per manum Ioannis Bibliothecarij & Cardinalis noſtræ R. E. VII. Kalend. Decemb. anno Domini DCCCXV. Indict. IX. Pontificatûs verò Domini Leonis diuinâ prouidentiâ Papæ III. Anno XX.

DCCCXXIII. Sergius Bibliothecarius miſſus vnà cùm Ioanne Epiſcopo Syluæ Candidæ, ac Quirino Subdiacono, nec non Leone Magiſtro militum tanquam Legatus ad Ludouicum Pium à Paſchali I. PP. ex Vghellio in Epiſcopis Syluæ Candidæ num. 8: contrarium tamen apparet ex Epiſtola quadam Paſchalis I. hoc anno Bernardo Viennenſi Archiepiſcopo tranſmiſsâ, ac à Labbeo Tom. VII. Concil. relatâ in append. pag. 1869.

Data per manum Georgij Bibliothecarij S. Sed. Ap. Non. Decembris: Imperante Domino pijſſimo Auguſto, Ludouico à Deo coronato, magno, pacifico Imperatore, eius Imperij anno IV. & Patritiatus eius III.

DCCCXXIV. Apud Coſſartium Tom. 7. Concil. pag. 1870. ex Bibliotheca Floriacenſi quædam Epiſtola Eugenij II. Bernardo Archiepiſcopo Viennenſi directa refertur, cuius Data eſt.

Scri-

Scriptum per manum Agathonis Notarij & Scriniarij, in Menſe Iulio, Indict. XV. Bene valete. Data VIII. Id. Iulij per manum Georgij Bibliothecarij S. Sed. Ap. Imperante Domino pijſſimo Auguſto Ludouico, Imperij eius anno IV.

Data huius Epiſtolæ incerti anni eſt, cùm tam Indictio, quàm annus Imperij Ludouici, falſi appareant; Siquidem Eugenius ſedere cœpit anno XI. Ludouici, quapropter ad hunc annum, qui primus eſt Eugenij, ipſam datam reijciendam putamus.

DCCCLIV. Megiſtus Monachus; & Abbas Monrij SS. Andreæ & Gregorij ad Cliuum Scauri de Vrbe, poſtea Epiſcopus Oſtienſis, & Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarius ſub Leone IV. Papa anno DCCCLIV. ex Ioanne Diacono in Vita S. Gregorij Lib. 4. Cap. 86.

DCCCLV. In Diplomate quodam, Confirmationis omnium bonorum, & Priuilegiorum Monaſterij S. Dionyſij Ruſtici, & Eleutherij in Gallia, Ludouico Abbati eiuſdem Monaſterij conceſſo à Benedicto III. ac in Tom. VIII. Conciliorum Labbei, & Coſſartij edito, huiuſmodi Data reperitur.

Scriptum per manum Theodori Notarij Regionarij S. R. E in Menſe Maio, Indict. VII. Datum per manum Megiſti Epiſcopi, & Bibliothecarij

S. A.

S. A. S. V. Id. Maij. Imperante Domino pijſſimo perpetuo Auguſto à Deo coronato magno Imperatore, Conſulatûs eius anno VIII. Indict. V.

DCCCLX. Sub hoc anno à Raſpono vixiſſe narratur Gualbertus Epiſcopus Portuenſis, ac Bibliothecarius. Idque ſe deſumpſiſſe aſſerit ex Priuilegijs Caſſinenſibus, ſed vbinam ſint hæc Priuilegia dicere omiſit; ego quidem in Bullario Caſinenſi Priuilegium huiuſmodi minimè reperi, ſicut nec etiam apud Vghellium in Epiſcopis Portuenſibus præfatum Gualbertum, ſed Vvalpertum, qui creatus fuit Epiſcopus anno 877. & quod fuerit Bibliothecarius ſilet.

DCCCLXIV. Idem Raſponus ad hunc annum Tiberium fuiſſe narrat Primicerium, ac S. Sedis Apoſt. Bibliothecarium, idque ex Alberto Crantzio lib. I. Cap. 39.

DCCCLXV. Anaſtaſius Romanus Monachus & Abbas Monaſterij . . . S. R. E. Bibliothecarius, de quo iam ſupra plura fati ſumus.

DCCCLXVII. In Tom. VIII. Conciliorum eiuſdem Labbei, ad hunc annum 867. Diploma eſt quoddam, in quo ab Hadriano II. Actardo Nammeticæ Eccleſiæ Epiſcopo Pallij vſus conceditur, cuius hæc Data.

Scriptum per manum Zachariæ Notarij, & Scriniarij S. R. E. in Menſe Februario. Indict. I.

bene

bene vale. Quinto Kalend. Martias, per manus Anaſtaſij Bibliothecarij S. Summæ Sed. Ap. Imperante Dom. Noſtro pijſſimo, perpetuo, Auguſto, Ludouico Magno Imperatore. Anno XIX. & poſt Conſulatum eius An. XVIII. Indict. I.

Nec ſpernendum videtur aliud teſtimonium, ex fragmento Epiſtolæ cuiuſdam, ab eodem Anaſtaſio conſcriptæ, ac in Chronico Technico à Labbeo pag. 244. edito, in qua hæc continentur.

Domino Sancto Patri Adoni venerando mihi, & valdè diligendo Archiepiſcopo: Ego Anaſtaſius S. R. E. Bibliothecarius plurimam opto ſalutem &c. Quæ verba huic anno præfiximus, quod in dicta Epiſtola Nicolai I. mors, ac Hadriani II. creatio eidem Adoni nunciantur, quæ omnia hoc Anno 867. contigerunt.

Idem fragmentum etiam habetur in Tom. VIII. Concil. eorundem Labbei, & Coſſartij Pag. 178.

DCCCLXX. Chriſtophorum Primicerium Notariorum pro Bibliothecario fortè abſente ſub eodem Hadriano II. munus geſſiſſe ſcribit Raſponus. Id tamen vnde hauſerit ne verbum quidem. Nos autem de hoc Chriſtophoro egimus ſupra in noſtro examine Sect. 7.

Sub eodem Pontifice idem Raſponus aſſerit per literas Firmiano, Petro Leoni, ac Ioanni, eorumque Fratribus Datas Indict. III. anno III. Pontifi-

catûs prędicti Hadriani, Anno ſcilicet DCCCLXXII. ſubſcripſiſſe Petrum Diaconum ex Archiuo Eccleſiæ Rauennatenſis. Ex huiuſmodi verò aſſertione non conſtat an fuerit Bibliothecarius, nec nos dubium hoc poſſumus examinare, cùm locum citatum minimè inueniamus.

DCCCLXXVII. Ex hiſtoria Eccleſiæ Remenſis à Marlot edita Tom. I. Lib. 3. cap. 34. habemus Epiſtolam Ioannis VIII. Scriptam ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem, cuius Datæ tenor eſt.

Data eſt Romæ Theodorico iuſſu Papæ Ioannis, & Domni Caroli noui Imperatoris per manus Anaſtaſii Bibliothecarij in Secretario Eccleſiæ S. Petri anno, Incarnat. Dominicæ DCCCLXXII. Non. Ianuarij, Indict. IX. & delata eſt ab eodem Theodorico in Ciuitate Remis Hincmaro Remorum Archiepiſcopo eodem anno & eâdem Indict. V. Idus Martij.

Hunc autem Anaſtaſium illum eſſe de quo fusè ſupra egimus pro certo habeo, ac Chriſtophorum & Petrum, de quibus nuper diſſeruimus non Bibliothecarios fuiſſe, ſed Bibliothecarij vices abſente, vel aliàs impedito ipſo Anaſtaſio, geſſiſſe.

DCCCLXXXII. Zachariam Epiſcopum Anagninum Bibliothecarium facit Baronius ad dictum Annum num. 1.

Hoc

DCCCLXXXIII. Hoc anno idem Zacharias reperitur ſubſcriptus in quodam Diplomate directo ad Gerardum Laudenſis Eccleſiæ Epiſcopum, ab Vghellio inter Papienſes Epiſcopos relatum, cuius Diplomatis Data eſt.

Datum X. Kal. Iulij per manum Zachariæ Epiſcopi, & Bibliothecarij, atque miſſi S. Sed. Ap. Imperante Domino noſtro pijſſimo, perpetuo, Auguſto, Carolo à Deo coronato magno Imperatore An. III. & poſt Conſulatum eius anno III. Indict. I.

DCCCLXXXIV. Benedictus Epiſcopus Syluæ candidæ S. R. E. Bibliothecarius ſubſcripſit Priuilegium Martini II. conceſſum Monaſterio Caſſinenſi ſub Dat. XII. Kal. Februarij Pontificatûs eiuſdem Martini anno II. Indict. XI. Hoc Priuilegium in Regiſtro Petri Diaconi pag. 5. extare dicitur ab Vghellio in Vita ipſius Benedicti.

DCCCC. Benedicto IV. Pontifice Ap. Sed. Protoſcriniarius fuit Ioannes Romanus ex Guillelmo Bibliothecario anno 900. Ad hæc tempora eundem Guillelmum Bibliothecarij munus geſſiſſe notat Raſponus. Puto tamen hanc notitiam deſumpſiſſe ex Annotatione Onuphrij Panuinij in Platinam poſt Vitam Nicolai I. qui narrat eundem Guillelmum Bibliothecarium fuiſſe

ex Libro qui ſub Damaſi nomine circumfertur.

DCCCCV. Idem Raſponus confundit Cancellarij munus cum illo Bibliothecarij, aſſerit enim Theophilactum Bibliothecarium fuiſſe, Idque ex Priuilegio Eccleſiæ Portuenſis, quod apud Vghellium reperimus, Epiſcopo Syluæ Candidæ, & non Portuenſi, conceſſum, ac in eodem Bibliothecarij nullam mentionem fieri. Quare Catalogo Bibliothecariorum Theophilactus expungendus eſt, prout etiam Melchiſedech, qui in eorundem numerum poſt Theophilactum à Raſpono refertur, & alij plures ſequentes; quos ob eam cauſam nos omittimus.

DCCCCLVI. Sub hoc anno Marinus (neſcio cuius ciuitatis Epiſcopus) Bibliothecarius fuit, vt ex priuilegio Ioannis XII. conceſſo Landulpho Epiſcopo Beneuentano ex Vghellio in eiuſdem Epiſcopi Vita, cuius Priuilegij Data ſic ſe habet. Scriptum per manum Leonis Scrinarij S. R. E. in menſe Decembri, Indict. XV. Benè valete.

Datum XVIII. Kal. Ianuarij per manum Marini Epiſcopi, & Summæ Sedis Ap. Bibliothecarij Domino propitio; Pontificatûs Domini Noſtri Ioannis Summi Pontificis, & vniuerſalis XII. Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli XI. Menſe, & Indictione ſupraſcriptâ XV.

Lau-

DCCCCLXVII. Laudatus Raſponus oſtendit ex Bullis Eccleſiarum Bononienſis, & Salernitanæ Anno Domini DCCCCLXVII. ſub Ioanne XIII. Summo Pontifice Bibliothecarij Sed. Ap. munus geſſiſſe Guidonem Epiſcopum S. E. Syluæ Candidæ, aliàs S. Ruffinæ. Iſtæ autem Bullæ vbi ſint, ipſe non indicat, neque ab Vghellio in Bononienſibus, aut in Salernitanis Archiepiſcopis referuntur. Refertur tamen ab eodem iſte Guido nomine Vvidonis inter Epiſcopos Syluæ Candidæ num. 14. ac inter Beneuentanos Archiepiſcopos in Vita Landolphi, qui primùm Archiepiſcopatûs eiuſdem Ciuitatis munere à Ioanne XIII. donatus fuit. Vidimus etiam Priuilegium conceſſum à Ioanne XII. Papa Beneuentanis Epiſcopis, Dignitatis Archiepiſcopalis, ac vt vſu Pallij in futurum gauderent, cuius Priuilegij Data eſt.

Scriptum per manus Stephani Scriniarij S. R. E. in Menſe Maij Indict. XII.

Sequuntur poſtea ſubſcriptiones ipſius Pontificis, ac Othonis Imperatoris, nec non diuerſorum Epiſcoporum tam Italiæ, quàm Germaniæ, ac S. R. E. Cardinalium: deinde Data ſub hac forma.

DCCCCLXIX. Datum VII. Kal. Iunij per manum Guidonis S. Syluæ Candidæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Sed. Apoſtolicæ anno Pontificatûs

Domi-

Domini Noſtri Ioannis XIII. Papæ Quarto, Imperatoris Othonis maioris VII. & Minoris XI. Indict. ſupradicta XII. anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIX.

Notandum hìc eſt ex eodem Priuilegio deſumi notitiam Synodi habitæ in Vaticana Baſilica ab eodem Pontifice, præſentibus eodem Imperatore, nonnulliſque Vltramontanis Epiſcopis.

Præmemoratum Guidonem reperio ſubſcriptum in quodam Priuilegio conceſſo ab eodem Pontifice Monaſterio S. Saluatoris Papienſis, vt ex Conſtitutione 53. in Bullario Caſſinenſi, Tom. 2. cuius Priuilegij Data ſequens eſt. Scriptum per manus Stephani Scriniarij S. R. E. in Menſe Aprili, Indict. ſupraſcripta XV. Bene Valete. Pax. Data VIII. Kal. Maij per manus Vvidonis Epiſcopi Bibliothecarij S. Sedis Apoſtolicæ, anno Pontificatûs Domini Noſtri Ioannis Sanctiſſimi ac Religioſiſſimi XIII. Papæ. Imperij verò D. Othonis Maioris XI. Iunioris autem V. in menſe, & Indict. XV. ſupraſcriptâ.

Idem apparet ex quodam Diplomate Ioanni Papæ XIII. Dato in Concilio Rauennatenſi, quo Heroldum Salisburgenſem Archiepiſcopum deponit, & excommunicat. Fridericum verò eius loco Archiepiſcopum creat. In quo Diplomate inter Epiſcopos, qui ſubſcripſere habetur.

Vvin-

Vvindo S. Syluæ Candidæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Bibliothecarius Apoſtolicæ Sedis.

Succeſiuè in hoc Bibliothecarij munere eodem Ioanne XIII. Sedente quendam Andræam Epiſcopum ..... ſcribit præfatus Raſponus, idque ſe deſumpſiſſe fatetur ex regiſtro Innocentij PP. IV. ...

DCCCCLXXII. Ex Bibliotheca M. S. Labbei Tom. 1. in Tom. IX. Conciliorum eiuſdem Labbei citata, habetur quædam Epiſtola Ioannis XIII. Papæ ad Berengarium Epiſcopum Virdunenſem directa, in qua omnia bona Virdunenſis Eccleſiæ ab ipſo Berengario conſtructæ firmantur, ac Sed. Ap. protectione muniuntur. Cuius Epiſtolæ Data hæc eſt.

Scriptum per manum Leonis Scriniarij S.Sed. Ap. in Menſe Ianuario per Indictionem XIV. Datum V. Id. Ianuarij per manum Marini Epiſcopi, & S. S. A. Bibliothecarij, anno, Domino propitio, Pontificatûs Domini Ioannis Summi Pontificis, & vniuerſi XIII. Papæ. in Sanctiſſima B. Petri Apoſtoli Sede Decimo, primo in menſe. Indict. XIV. anno ab Incarnatione Domini 971.

DCCCCLXXIIX. Ioannes Epiſcopus Salernitanus S. Ap. Sed. Bibliothecarius fuit ſub Benedicto VII. anno 978. ex Bulla incluſa in regiſtro Innocentij IV. citatâ à Raſpono; & confirma-

firmatur ſententia Vghellij, Ioannem iſtum diù vitam protraxiſſe, aſſerentis contra Moſcum, qui ſcripſit quinque tantùm annos vixiſſe à ſua aſſumptione, quæ contigit anno 969.

DCCCCLXXXIII. Hoc anno Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarium fuiſſe Stephanum Epiſcopum . . . . ex quodam Diplomate tradito per Antonium Maſſam Galleſium Onuphrio Panuinio, Scribit Raſponus.

DCCCCLXXXIV. In conceſſione vsûs Palij, factâ per Ioannem XIV. Summum Pontificem Aloni Archiepiſcopo Beneuentano, inuenitur Bibliothecarius Ioannes Epiſcopus . . . . Huius enim Diplomatis Data eſt.

Scriptum per manus Leonis Notarij Regionarij S. R. E. in Decembri menſe, Indict. XII. Datum VIII. Id. Decemb. per manus Ioannis Epiſcopi . . . ac Bibliothecarij S. Sed. Apoſtolicæ, anno, Domino propitio, Pontificatûs Domini Ioannis Pont. & Vniuerſalis XIV. Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli, I.

DCCCCXCII. Ioannes Epiſcopus Nepeſinæ Eccleſiæ fuit Bibliothecarius; vt ex quodam Priuilegio conceſſo Epiſcopo Portuenſi, eiuſque ſucceſſoribus à Ioanne XV. Summo Pontifice, cuius Priuilegij Data ſic ſe habet. Scriptum per manus Stephani Scriniarij Sacri Palatij, Menſe Iunio,

nio, & Indict. ſuprascripta (nempe V.) Bene valete.

Datum VII. Kal. Iulij per manus Ioannis Epiſcopi Nepeſinæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Sed. Ap. anno Pontificatûs Domini Noſtri Ioannis Sanctiſſimi XV. Papæ VII. & Indict. ſupraſcripta V. Decernimus ergo &c.

DCCCCXCIII. Duos hoc anno, menſe tamen diuerſo, fuiſſe legimus Bibliothecarios, qui Diplomata ſubſcripsêre. Vnus eſt præmemoratus Ioannes, qui ſubſcripſit menſe Februarij Canonizationem S. Vdalrici Epiſcopi Ciuitatis Auguſtanæ, quæ conſtitutio habetur in Bullario ſub eodem Pontifice, ac illius Data hæc eſt.

Scriptum per manum Stephani Notarij Regionarij, & Scriniarij S. R. E. in Menſe Februario, Indict. VI. an.nonagenteſimo nonageſimo tertio. Sequuntur poſtea ſubſcriptiones Pontificis,& Cardinalium, poſt quas ſequitur hæc Data. Datum III. Non. Februarij per manum Ioannis Epiſcopi S. Nepeſinæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Sed. Ap. anno Pontificatûs Domini noſtri Ioannis Sanctiſſimi XV. Papæ VIII. Menſe dicto, & Indict. VI.

Alter verò eſt Gregorius Epiſcopus Portuenſis quem Raſponus reijcit ad annum *996.*, ſed perperam, contrarium enim apparet ex conceſſione vſus Pallij facta Grimaldo huius nominis III. Ar-

chiepiſcopo Salernitano, cuius conceſſionis Data ſequens eſt.

Scriptum per manus Benedicti Notarij Scriniarij S.R.E. Menſe Martij, Indict. VII. Bene valete. Datum Oct. Kal. Aprilis per manum Gregorij Epiſcopi S. Portuenſis Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Sed. Ap. anno Deo propitio Pontificatûs Domini Ioannis XV. Papæ VIII. Menſe Martio Indict. VII.

DCCCCXCVI. Ioannes Epiſcopus Albanenſis habetur Bibliothecarius ex quodam Priuilegio conceſſo per Gregorium V. Abbati S. Saluatoris in Ciuitate Cluſina, ac territorio montis Amiati, cuius Priuilegij Data eſt, quæ ſequitur.

Scriptum per manus Petri Regionarij, Notarij, & Scriniarij S. R. E. in Menſe Maio Indict. ſupraſcripta IX. Bene valete.

Datum VI. Kal. Iunij per manus Ioannis Epiſcopi S. Albanenſis Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Ap. Sed. Indict. IX. anno Pontificatus Domini Gregorij Summi Pont. & Vniuerſalis Eccleſiæ Papæ an.I. imperante Domino Othone à Deo coronato, magnoque Imperatore, anno I. Menſe Maio, & Indict. ſupraſcripta ſequuntur poſtea nonnullorum Epiſcoporum ſubſcriptiones.

DCCCCXCVII. Hoc etiam anno idem Ioannes ſubſcripſit aliud Priuilegium conceſſum per

eun-

eundem Gregorium Ioanni huius nominis XI. Archiepiſcopo Rauennatenſi, cuius Priuilegij Datæ tenor eſt.

Scriptum per manus Petri Regionarij Notarij & Scriniarij S. R. E. in Menſe Iulio, Indict. ſupradicta X. Bene valete.

Datum Non. Iulij per manus Ioannis Epiſcopi S. Albanenſis Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Ap. Sed.

DCCCCXCVIII. Reperitur quoque idem Ioannes ſubſcriptus in alio ſimili Priuilegio conceſſo Gerberto Archiepiſcopo Rauennatenſi, quod ſic: Scriptum per manum Petri Notarij & Scriniarij S. R. E. in Menſe Aprilis, & indict. XI. Bene valete.

Datum IV. Kal. Maïj per manum Epiſcopi S. Albanenſis Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Ap. Sed. anno Pontificatûs Domini Gregorij Summi Pontificis, & Vniuerſalis Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli anno II. Imperante Domino Othone III. à Deo coronato, magno, & pacifico Imperatore anno II. in Menſe, & Indict. XI.

MXII. Duos hoc anno Bibliothecarios reperio, vnum quidem Menſe Februarij, alterum Menſe Iunij. Prior ſubſcripſit quoddam Diploma diuerſa Priuilegia continens in fauorem Abbatis S. Vincentij de Vulturno, quod Diploma

refert Vghellius inter Epiſcopos Æſernienſes eiuſque Data eſt quæ ſequitur.

Scriptum per manus Benedicti Notarij Regionarij, & Scriniarij S. R. E. in Menſe Februario Indict. X. Bene valete.

Datum V. Kal. Martij per manus Petri, Domini gratiâ Epiſcopi S. Præneſtinæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Ap. Sed. anno Deo propitio Pontificatûs Domini noſtri Sergij IV. Papæ III. Indict. ſupradictâ X.

Poſterior verò ſubſcripſit Priuilegium, ſeu conceſſionem vsûs Palij, factam ab eodem Sergio Pontifice Michaëli Archiepiſcopo Salernitano. Data eſt.

Scriptum per manus Ioannis Scriniarij S. R. E. in Menſe Iunio Indict. X.

Datum XV. Kal. Iulij per manum Gregorij Epiſcopi, & Bibliothecarij S. Sed. Ap. anno, Domino propitio, Pontificatûs Domini Sergij IV. Papæ in Sacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli III. Indict. X. Menſe Iunio, die Sextadecimâ.

Baronius ad hunc eundem annum refert hanc Datam demptis vltimis verbis Menſe Iunio die XVI. quæ tamen leguntur apud Vghellium, vnde aut in hoc, aut in ſuperiori loco error eſſet, nam XV. Kal. Iulij dici XVII. & non XVI. Iunij reſpondet.

Hanc Datam etiam ponderarunt laudatus Baro-

ronius, & Oldoinus in additionibus ad Ciacconium, ad quos Lectorem remittimus.

Ex his autem Priuilegijs apertè colligitur ipſum Sergium diutiùs in Pontificatu vixiſſe, quàm aliqui tradidere.

MXVI. Idem Cardinalis Baronius refert ad annum 1012. num. 3. Datam cuiuſdam Diplomatis exiſtentis in Bibliotheca Vaticana, cuius is tenor.

Scriptum per manus Benedicti Notarij Regionarij & Scriniarij S. R. E. Menſe Aprilis, Indictione XIV.

Datum VII. Kal. Maij per manus Petri Epiſcopi Eccleſiæ Præneſtinæ, & Bibliothecarij S. R. E. Indict. XIV. anno Deo Propitio Pontificatûs Domini Noſtri Benedicti Summi Pontificis, & Vniuerſalis VIII. Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli IV. Imperij Domini Henrici Imperatoris Auguſti anno III. Indict. XIV. Menſe iam dicto Aprilis, die VII.

MXVII. In M S. Codice Farfenſi legitur quoddam Diploma conceſſum à Benedicto VIII. dicto monaſterio Farfenſi, ac Datum IX. Kal. Ianuarij per manum Dei gratia Boſonis Epiſcopi & Bibliothecarij S. Sed. Ap. Indict. XV.

MXVIII. In hunc annum ſequens Priuilegium retulimus, quod Benedictus Papa VIII conceſ-

ceſſit Benedicto cognomento de Pontio, Epiſcopo Portuenſi, vt ex ſæpe memorato Vghellio, cuius Priuilegij Data eſt.

Scriptum per manum Gregorij Notarij Regionarij, atque Seriniarij S. Ap. Sed. in Menſe Iulio Indict. I. Datum Kal. Auguſti per manum Domini gratiâ Boſonis Epiſcopi & Bibliothecarij S. Ap. Sedis. Bene valete. Decernimus &c.

Hunc autem Boſonem eundem eſſe opinor cum Boſſono Epiſcopo Tyburtino, de quo infra: quod ſi veritati conſentaneum eſſet corrigendus eſſet Vghellius in Epiſcopis Tyburtinis, qui ſub anno 1023. ponit quendam Gerardum Epiſcopum Tyburtinum, deinde iſtum Boſſonum; cùm tamen Gerardus ante hunc annum 1018. ponendus foret ſub quo cadit indictio prima, vt ex Setho Caluiſio.

MXX. Ex eodem Baronio loco citato num. 4. habetur alius Bibliothecarius, deſumptus ex alio Diplomate in eâdem Vaticana Bibliotheca exiſtente, cuius Data eſt.

Scriptum per manus Stephani Notarij Regionarij & Scriciarij S. R. E. menſe Decembri Indict. III.

Datum VI. Kal. Ianuarij per manum Benedicti Epiſcopi Portuenſis, & Bibliothecarij S. Ap. Sed. anno, Deo propitio, Pontificatûs Domini Benedi-

nedicti Sanctiſſimi VIII. Papæ VIII. Imperante Domino Pijſſimo Imperatore Auguſto Henrico anno VI. Indict. III. Menſe Decembris, die 26.

Iſtud ego Diploma ideò protuli ad an. 1020. quia ſub hoc cadit Indictio III.

MXXII. Hoc anno, quo recurrebat Indictio VI. ac B. Petri Cathedram regebat Benedictus VIII. Petro Epiſcopo Syluæ Candidæ, eiuſque in Epiſcopatu Succeſſoribus ab hoc Pontifice plurima Priuilegia conceſſa fuere, inter quæ, vt eſſent in poſterum Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarij. Inter cauſas autem, quæ ad hoc concedendum Pontificem mouerant, fuiſſe dicitur, quòd ipſi Epiſcopi iuxtà antiquum morem ad Staffilum, vbi de equo Papa deſcendit, ipſum Pontificem recipiebant. Hoc priuilegium Vghellius refert ad annum 1033. ſub Benedicto IX. quando de Benedicto Epiſcopo Ciuitatis Caſtellanæ ſermonem inſtituit, prout etiam Raſponus, qui ponit illud ad an. 1038. cùm Indictio VI. quæ exprimitur in Priuilegio, recurreret anno 1022. quo tempore florebat Benedictus VIII. non verò anno 1038. quo viuebat Benedictus IX. Item Petrus iam antea obierat, anno videlicèt 1035. vt ex Epitaphio ab eodem Vghellio relato. Attamen hoc Priuilegium nullum omninò effectum ſortitum fuiſſe, deducitur ex his, quæ infra dicenda ſunt.

MXXIV. Raſponus ad hunc annum facit Bi-

bliothecarium Dadum Epiſcopum . . . ex Bullis Monaſterij S. Mariæ in Organo Veronæ; quæ Bullæ an editæ ſint, nec ne, prout etiam vbi reperiantur, haud refert. Qua de re nos Vghellium conſulentes inter Iſchiæ Epiſcopos, quendam huius nominis tandem inuenimus.

MXXVI. Hoc anno Ioannes XIX. Pontifex Max: Petro Epiſcopo Syluæ Candidæ eiuſque ſucceſſoribus confirmauit omnia bona Epiſcopalia per ipſum poſſeſſa, aliaque Priuilegia ijſdem conceſſit, prout ex Diplomate ſub hac Data.

Scriptum per manum Gregorij Notarij Regionarij, atque Scriptoris S. R. E. in menſe Decembris, & Indict. ſupraſcriptâ X.

Sequuntur poſtea ſubſcriptiones, deinde verò Datum XVI. Kal. Ianuarij per manus Benedicti Epiſcopi Portuenſis, & Vice Peregrini Colonienſis Archiepiſcopi, Bibliothecarij S. Ap. Sed. anno Pontificatûs Domini noſtri Ioannis Summi Pontificis Vniuerſalis XIX. Papæ in Sacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli tertio, Menſe Decembris, Indict. X. Decernimus &c.

Obiter hìc animaduertendum eſt quanta olim etiam fuerit dignitas Bibliothecarij, cùm vel ab Archiepiſcopis Colonienſibus exoptaretur.

MXXVII. Hoc anno Petrus quidam ſubſcriptus inuenitur in quadam Epiſtola ex Bullario Ord.
Clu-

Cluniac. Pag. 10. deprompta, ac vniuerſis Chriſti Fidelibus pro Cluniacenſibus directa à Ioanne XIX. Data V. Kal. Aprilis per manum Petri Epiſcopi Prænestinæ Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. Ap: Sed. anno Pontificatûs Domini Ioannis Sanctiſſimi XIX. Papæ III. Indict. X.

Ex ſæpe memorato Vghellio inter Patriarchas Aquileienſes ab ipſo deſcriptos, habetur Boſſo, cui Ioannes XIX Pallij vſum conceſſit, huius autem Diplomatis Data ſic habet.

Scriptum per manus Ioannis Cardinalis & Cancellarij Vice Petri Diaconi, menſe Septembris Indict. X.

Datum per manus Boſſonis Epiſcopi, & Bibliothecarij S. R. E. in Menſe & Indict. ſupraſcripta in ſacratiſſima Sede Beati Petri Apoſtoli anno IV. Deo propitio, Pontificatûs Domini Ioannis Summi Pont. & Vniuerſalis XIX. Papæ.

Hic etiam obſeruandum, quod Cancellarij munus à Bibliothecario differebat, contra Raſponum; qui poſt Dadum Epiſcopum relatum ad an. 1024. Vicecancellarios & Cancellarios cum Bibliothecarijs aliquando confundit:

MXXVIII. Circa hunc annum Ioannes XIX. Sententiam tulit contra Presbyteros Eccleſiarum Galeriæ, in fauorem Petri Epiſcopi Syluæ Caudidæ, cuius ſententiæ Data ſequens eſt.

Datum XIX. Kal. Ianuarij per manus Boſonis Epiſcopi Sanctæ Tyburtinæ Eccleſiæ & Bibliothecarius S. Ap. Sed. interfui; & in perpetuum valere iudico. Hanc Sententiam refert Vghellius inter Epiſcopos Syluæ Candidæ.

MXXXVIII. Adhuc hoc anno in Bibliothecarij munere permanſiſſe reperio ſupra dictum Boſonem, vt ex Conſtitut. 87. in Bullario Caſſinenſi à Margherino relata, cuius Datæ tenor eſt.

Scriptum per manus Stephani Protoſcriniarij S. Sed. Ap. anno ab Incarnat. Domini 1038. Pontificatûs verò Domini Benedicti VIII. Papæ Sedente anno VI. Imperij verò Domini Conradi Imperatoris Romanorum XII. & Indict. VI. Menſe Iunij die 29.

MXXXXVI. Apud Vghellium in Archiepiſcopis Florentinis Diploma quoddam extat Rolando Canonicæ Florentinæ Præpoſito, eiuſque Succeſſoribus conceſſum, in quo bona dictæ Eccleſiæ ſub Tutelam Ap. Sedis ſuſcipit Gregorius VI. cuius Data eſt XII. Kal. Martij, per manus Petri Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij S. Ap. Sed. anno Pontificatûs D. Gregorij Papæ VI. primo, Indict. XIV.

MXXXXVI. Apud Labbeum Tom. IX. Conciliorum an. 1046. Diploma videre eſt ad Ioannem Salernitanum Archiepiſcopum directum, quo

Cle-

Clemens II. eius tranſlationem ex Epiſcopatu Pæſtano in Salernitanum confirmat, eique Pallium concedit. Cuius Datæ hic tenor.

Scriptum eſt per manus Ioannis Scriniarij, & Notarij Sacri Lateranenſis Palatij &c.

Datum XII. Kal. Martij per manus Petri Diaconi & Bibliothecarij, & Cancellarij S. A. S. anno Dom. Clementis II. Papæ primo. Indict. XV. MXXXXVII. Baronius quoque ad annum 1047. refert Diploma Summi Pont. Clementis II. Menſe Februario, quo Ioanni Salernitano Archiepiſcopo Pallij vſum indulget.

Scriptum per manus Ioannis Scriniarij & Notarij Sacri Lateranenſis Palatij &c.

Datum XII. Kal. Martij per manus Petri Diaconi & Bibliothecarij & Cancellarij S. A. S. anno D. Clementis II. Papæ primo, Indict. XV.

MXXXXIX. Legitur & apud Vghellium in Archiepiſcopis Florentinis Priuilegium à Leone IX. Petro Abbati Monaſterij S. Saluatoris in Septimo, eiuſque Succeſſoribus conceſſum, quo eiuſdem Monaſterij bona confirmantur, eius Data eſt quæ ſequitur.

Datum XIV. Kal. Maij per manus Petri Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij S. Ap. Sed. anno D. Leonis IX. Papæ I. Indict. II.

Sub eodem menſe videlicet die 22. Aprilis

apud Vghellium inter Epiſcopos Portuenſes eundem Pontificem alio Priuilegio donâſſe legimus Ioannem Epiſcopum Portuenſem, & eius Succeſſores, ſub Datum X. Kal. Maij per manum Petri Diaconi Bibliothecarij, & Cancellarij S. A. S. anno D. Leonis IX. Papæ I. Indict. II.

Id etiam teſtatur quoddam Diploma in Bullario Ord. Cluniac. repertum, in quo Leo IX. libertatem Cluniacenſis Monaſterij ab Anteceſſoribus ſuis conceſſam, confirmat &c.

Datum IV. Id. Iunij per manus Petri Diaconi Bibliothecarij ac Cancellarij S. Ap. S. anno Dom. Leonis IX. Papæ I. Indict. II.

Scribit Vghellius hoc anno Leonem IX. cùm ex Germania in Italiam veniret, Natale Domini Veronæ celebrauiſſe, Valtherio Epiſcopo illum excipiente, deinde Romam profectum.

Additque Diploma directum Totoni Archipreſbytero, Almerico Archidiacono, & Arduino Præpoſito, omnibuſque Canonicis Eccleſiæ Veronenſis, cuius Data eſt.

Datum Nonis Maij Menſis per manum Petri Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij S. A. S. anno D. Leonis Papæ I. Indicti II.

ML. Die 6. Auguſti anni 1050. ſubſcriptum reperio Petrum Diaconum Bibliothecarium, & Cancellarium, in quodam Priuilegio, in quo ſub

pro-

protectionem Sedis Apoſtolicæ recipit Monaſterium S. Saluatoris in Comitatu Cluſino in Territorio Montis Amiati, confirmatque omnia bona ab eodem Monaſterio poſſeſſa, ſub Datum VIII. Id. Auguſti per manus Petri Diaconi Bibliothecarij & Cancellarij S. A. S. anno Dom. Leonis IX. Papæ II. Indict. IV.

Neque hìc omittenda eſt obſeruatio, quòd duo officia, Bibliothecarij ſcilicet & Cancellarij in eandem perſonam collata fuerint, vt ex ſupradictis, & infra dicendis ex Ciaconio clarius apparebit.

MLI. Hoc anno Leo Pontifex ſub ſpeciali Diplomate quo ad communem victum Canonicos Lucanæ Eccleſiæ traduxit, ita ſubſcribitur:

Datum IV. Idus Martij per manus Federici Cancellarij vice Domini Herimanni S. A. S. Archicancellarij, & Colonienſis Archiepiſcopi anno Domini Leonis IX. Papæ III. Indict. IV. Licèt ex hac Data an Bibliothecarius fuerit, necne, non appareat, conſtabit tamen ex his, quæ ſequuntur.

Eodem anno ſub die 22. Iulij idem Pontifex ſuo quodam ſpeciali Priuilegio confirmauit omnia bona conceſſa Eccleſiæ Salernitanæ, cuius Priuilegij Data præmemoratum Fridericum Bibliothecarium fuiſſe declarat, & iſta eſt.

Datum D. Kal. Auguſti per manus Friderici Dia-

Diaconi S. A. S. Bibliothecarij & Cancellarij & Domini Herimanni Colonienſis Archiepiſcopi, & Archicancellarij, anno Domini Leonis IX. Papæ III. Indictione IV.

Item eo anno aliud Priuilegium eiuſdem Pontificis reperitur inter Archiepiſcopos Piſanos à laudato Vghellio relatos, quo Priuilegio confirmantur omnia bona Abbati Monaſterij Beatiſſimæ Virginis Mariæ in Inſula Gorgona, eiuſque Data eſt.

Datum XVII. Kal. Nouemb. per manus Federici Diaconi S. R. E. Bibliothecarij, & Cancellarij vice Domini Herimanni Archicancellarij & Colonienſis Archiepiſcopi anno Domini Leonis IX. tertio. Similiter apud Margarinum in Bullario Caſſinenſi Tom. 2. Conſtitut. 97. in qua Farfenſis Monaſterij bona & iura enumerantur, & confirmantur, enunciatur aliud Diploma eiuſdem Sanctiſſimi Pontificis, cuius hæc Data.

Datum tertio Id. Decemb. per manus Frederici Diaconi S. R. E. Bibliothecarij, vice Domini Herimanni Archicancellarij, & Colonienſis Archiepiſcopi anno Domini Leonis IX. Papæ III. Indict. V.

Cùm huic Catalogo inſtruendo operam darem, ſuperuenit Religioſus Vir D. Claudius Eſteniothus Monachus Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mau-

Mauri in Gallia, & in hac Curia eiuſdem Ordinis Procutator, qui perhumaniter ſui Ordinis Annales ad hocce Bibliothecarios expiſcandos communicauit, quapropter in Tomo V. prædicti Leonis IX. Pont. Bullam inuenimus, in qua Metenſi Monaſterio nonnulla Priuilegia conceduntur ſub. Dat. IV. Non Nouemb. per manus Vdonis Tullenſis Primicerij & S. A. S. Cancellarij & Bibliothecarij anno 1051. Indict. IV.

Habetur etiam in Tom. V. eorundem Annal. Benedictinorum aliud Diploma ipſius Leonis pro Monaſterio S. Mauri Virdunenſis. Datum IX. Kal. Nouemb. per manus Petri Diaconi, Bibliothecarij & Cancellarij S. S. A. anno Domini Leonis Papæ IX. primo, Menſe Iulio.

Simile aliud inuenies in Bullario Ord. Cluniac. Pag. 13. ad S. Hugonem de Eccleſia de Raningis directum, quod ita ſubſcriptum eſt.

Data VII. Kal. Nouemb. per manus Vdonis Tullenſis Primicerij S. A. S. Cancellarij, & Bibliothecarij anno Domini Leonis IX. Indict. IV.

Et in huiuſmodi ſubſcriptionibus Cancellarij & Bibliothecarij munus quaſi ſeparatim expreſſum, ex quo eorundem munerum diuerſitas, & diſcrimen euidentiſſimè elicitur.

Notat ad hunc annum prælaudatus Raſponus Leone IX. & Victore II. Sedentibus primum omnium,

nium, qui S. A. S. Archicancellarium ſe ſubſcripſerit, fuiſſe Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum, vti colligitur ex Priuilegijs Baſilicæ Vaticanæ anno Domini 1051.

Id verò iam antea animaduertit Bernardus à Mallinckrot, vt legitur in ſuo Tract. de Archicancellarijs S. R. Imp. Cap. 5. in quo agit de Cancellarijs. S. R. E. quorum occaſione narrat Leonem IX. Sanctiſſimum Pontificem, Hermannum II. Archiepiſcopum Colonienſem S. R. E. Archicancellarium creâſſe. Idquè conſtare ex quadam Bulla Apoſtolica præfati Leonis, quam in vetuſtis S. Seuerini Colonienſis Tabularijs inuenit Ægidius Gelenius; quæque inter reliqua hæc continet: *Confirmamus quoque tibi per hanc præceptionis noſtræ Paginam. S. & Ap. Eccleſiæ Cancellaturam, & Eccleſiam S. Ioannis Euangeliſtæ ante portam Latinam, vt te Petrus Cancellarium habeat, Ioannes hoſpitium præbeat.*

MLII. Supra memoratus Margarinus in Bullario Caſſin. Conſtit. 93. in qua enumerantur & confirmantur bona Monaſterij S. Petri Peruſini, hanc Datam refert.

Datum VII. Id. Martij per manus Friderici Diaconi & S. R. E. Bibliothecarij & Cancellarij, vice Dom. Herimanni Archicancellarij & Colonienſis Epiſcopi anno Domini Leonis IX. quarto, Indict. V.

Lau-

Laudatus etiam ac ſemper laudandus Vghellius qui Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ maximam lucem attulit, in Tom. VIII. ac Chronico Beneuentani Monaſterij, refert Priuilegium confirmationis omnium bonorum Monaſterij S. Sophiæ Beneuentanæ, quod incidit in eundem annum, habetque ſequentem Datam.

Datum XII. Kal. Iunij Franus Frederici Diaconus S. R. E. Bibliothecarij, necnon & Cancellarij vice Domini Hermanni Archicancellarij & Colonienſis Archiepiſcopi anno Domini Leonis Papæ IV. Indict. XV.

Tres in hac Data vel Amanuenſis vel Interpretis lapſus perſpicui ſunt. Primus eſt *Franus*, cuius loco legendum eſt *per manus*, vt in alijs ſimilibus iam allegatis, & infra allegandis Priuilegijs. Secundò *Cancellatij* loco Cancellarij. Tertius Indictio XV. Loco V. nam anno IV. Leonis recurrebat Indictio V. Sed anachronica ſphalmata prætermittere inſtitutum eſt.

Sub hoc quoque anno apud eundem Vghellium Tom. I. in Epiſcopis Aſculanis legitur aliud Priuilegium conceſſum Bernardo II. Epiſcopo cuius Data eſt.

Datum Kal. Iulij per manus Friderici Diaconi S. R. E. Bibliothecarij & Cancellarij vice Domini Herimanni Archicancellarij & Colonienſis Ar-

chiepiſcopi anno Domini Leonis IX. quarto, Indict. V. Actum Beneuenti in Dei nomine feliciter. Amen.

In Tom. IX. Conciliorum Labbei, & Coſſartij Diploma quoddam extat, in quo agitur de Corpore S. Dionyſij Francorum Regis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, & Decanis, vniuerſiſque eiuſdem Regni Prælatis directum, atque ita ſubſcriptum.

Datum & actum Ratisbonæ per manus Friderici Diaconi Bibliothecarij, & Cancellarij S. R. E. Catholicæ, & Apoſtolicæ, anno Domini Leonis IX. Papæ IV. Indict. V. Nonis Octobris.

MLIII. Plura etiam hoc anno inueniuntur Diplomata ab eodem Friderico Bibliothecario ſubſcripta vtinam id etiam in præteritis & ſequentibus annis accidiſſet! quam integram Bibliothecariorum ſeriem texere potuiſſemus! Primum Diploma eſt quoddam Priuilegium conceſſum Dominico Epiſcopo Oliuelenſis Eccleſiæ, quod ab Vghellio in Venetiarum Patriarchis refertur, cuius Priuilegij Data eſt.

Datum tertio Id. Martij per manus Friderici Diaconi S. A. S. Bibliothecarij & Cancellarij vice Domini Herimanni Archicancellarij, Colonienſis Archiepiſcopi, Anno Domini Leonis IX. Papæ V. Indict. VI.

Se-

Secundum eſt in Bullario Caſſinenſi Conſt. 94. qua Leo Papa concedit, quod Nauis pro vſu Monaſterij Caſſinenſis cum Nauclero & ſocijs libera atque exempta ſit ab omni telonio & ſolutione ſub Dat. IV. Kal. Iunij per manus Friderici Diaconi S. R. E. Bibliothecarij & Cancellarij vice Domini Herimanni Archicancellarij & Colonienſis Archiepiſcopi, anno Domini Leonis IX. Papæ quinto, Indict. VI.

Tertium refertur ab eodem Vghellio in Tom. VIII. inter Epiſcopos Beneuentanos, cuius Data eſt IV. Id. Iulij &c. anno Domini Leonis IX. quinto, Indict. VI.

Quartum verò eſt in Tom. I. & 2. Parte eiuſdem Vghellij inter Epiſcopos Valuenſes.

Datum in Beneuento XII. Kal. Ianuarij per manus Friderici &c. anno Domini Leonis IX. Papæ quinto, Indict. VI.

MLIV. Leo Oſtienſis lib. 2. Cap. 88. narrat Leonem IX. Conſtantinopolim miſiſſe Fridericum Cancellarium, quem etiam Archidiaconum fuiſſe oſtendit Baronius ad eundem annum num. 1. quare clarè patet per hæc tempora Bibliothecarij & Cancellarij munus diſtincta fuiſſe.

MLV. Ex Bullis Eccleſiæ Bononienſis pro Bibliothecario & Cancellario ſub Victore II. anno Domini 1055. ſubſcripſiſſe Hildebrandum Saonenſem

ſem Thuſcum S. R. E. Subdiaconum Cardinalem Scribit Raſponus in præcitato Catalogo.

MLVI. Sub eodem Victore anno 1056. ex Bullis Eccleſiæ Portuenſis auctor eſt idem Raſponus Bibliothecarium & Cancellarium fuiſſe Aribonem S. R. E. Diaconum Cardinalem; ſed in Priuilegio Humberto Syluæ Candidæ relato eundem Aribonem ſubſcriptum reperio, nulla tamen Bibliothecarij muneris factâ mentione.

MLVII. Hoc anno in prædicto Bibliothecarij munere ſe exercuit Humbertus Epiſcopus Syluæ Candidæ, vt ex Bullario Ord. Cluniac. pag. 16. ex quodam Diplomate, quo Stephanus IX. confirmat omnia Monaſteria, bona, iura, & Priuilegia Monaſterio Cluniacenſi antea conceſſa, ac Hugoni Abbati dicti Monaſterij directum eſt, ſub hac Data.

Datum Romæ in Palatio Lateranenſi II. Non. Martij per manus Humberti S. E. Syluæ Candidæ Epiſcopi & Bibliothecarij S. R. & Ap. Sedis anno I. Pontificatûs Domini Papæ Stephani IX. Indict. XI.

Idem teſtatur aliud Diploma, vt ex Conſtit. 98. in Bullario Caſſinenſi Tom. 2. in quo Bona Monaſterij S. Petri Peruſini enumerantur, & confirmantur á Stephano IX. Sum. Pont. quod Priuilegium ita ſubſcriptum eſt.

Scri-

Scriptum per manus Gregorij Notarij & Scriniarij S. R. E. in Menſe Nouemb. Indict. XI. Datum Romæ IV. Non. Nouemb. per manus Humberti S. E. Syluæ Candidæ Epiſcopi & Bibliothecarij S. R. & Ap. Sedis an. 1. Pontificatûs Dom. Stephani IX. Papæ Indict. XI.

Sub eodem anno Conſtitutio quædam eſt eiuſdem Pontificis in eodem Bullario in ordine 99. in qua electio Abbatis Monaſterij S. Proſperi (nunc verò S. Petri) Regienſis iuxta Regulam S. Benedicti fieri iubetur, illiuſque Data eſt.

Scriptum per manum Gregorij Notarij S. R. & Ap. Sed. in Menſe Decemb. Indict. XI.

Datum in Caſtro Caſino per manus Humberti S. E. Syluæ Candidæ Epiſcopi & Bibliothecarij S. R. E.

Idem Humbertus eodem Menſe Decembris & anno præſente, ſuppari Data in Caſtro Caſſini reperitur ſubſcriptus in quodam Priuilegio conceſſo Pandulpho Epiſcopo Mariſcano, eiuſque ſucceſſoribus, quod refert Vghellius, in Appendice Tom. IX. ad pag. 908.

MLIX. Legitur quoque apud eundem Vghellium in Append. Tom. V. pag. 1628. quoddam Priuilegium conceſſum Priori S. Andreæ Muſciani, quod hanc, quæ ſequitur, Datam habet.

Datum XV. Kal. Februarij per manus Humber-

berti Epiſcopi S. E. Syluæ Candidæ Cardinalis Ap. Sed. Bibliothecarij, anno Domini 1059. Pontificatûs autem Domini Nicolai II. primo, Indict. XII.

Reperitur etiam idem Humbertus ſubſcriptus in Conſtit. 100. in ſæpe memorato Bullario Caſſinenſi, cuius Conſtitutionis hæc Data.

Scriptum per manum Octauiani Scriniarij, Notarijque San. Rom. Eccl. in Menſe Februario, & Indict. XII.

Alterum in Appendice Tom. VII. pag. 1311. ſimilem exhibet Confirmationem omnium bonorum eius Eccleſiæ factam Epiſcopo Portuenſi cum eodem Datæ tenore ac ſupra expreſſus.

MLX. Continuâſſe etiam hoc anno ſupramemoratum Humbertum in Bibliothecarij munere apparet ex quodam Priuilegio conceſſo ab eodem Nicolao II. Abbatiſſæ Monaſterij S. Felicitatis Florentiæ proximi, cuius ſubſcriptio eſt.

Datum Florentiæ VI. Idus Ianuarij anno ab Incarnatione Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1059. per manus Humberti S. E. Syluæ Candidæ Epiſcopi, & Ap. Sed. Bibliothecarij anno primo, Pontificatûs D. Papæ Nicolai II. Indict. XIII.

Præterea aliud Priuilegium prædictum Humbertum ſubſcripſiſſe reperio apud Margarinum Tom. 2. ſui Bullarij Caſinenſis Conſtitut. 102. in

in qua Regale Monaſterium Monialium S. Iuliæ Brixienſis cum ſuis Eccleſijs, & locis ab omnimoda Iuriſdictione temporali ac Spirituali Epiſcoporum, aliorumquè Principum, præter Italiæ Regnum eximit idem Nicolaus; Data eſt quæ ſequitur.

Scriptum per manus Octauiani Scriniarij & Notarij S. R. E. VI. die Menſis Maij Indict. XIII.

Datum Romæ III. Non. Maij anno D. N. I. C. 1060. per manus Humberti Syluæ Candidæ Epiſcopi & Ap. Sed. Bibliothecarij. Anno II. Pontificatûs Domini Papæ Nicolai II. Indictione XIII.

Sub eodem Menſe & anno ſimile Priuilegium conceſſit Regali Mónaſterio S S. Saluatoris & Iuliæ Brixienſis, quod cum ſuis Eccleſijs, Perſonis, & Locis ab omnimoda Iuriſdictione Eccleſiaſtica, vel ſæculari, præterquam Regia exemptum declarauit, cuius hæc Data.

Scriptum per manus Octauiani Scriniarij & Notarij S. R. E. II. Id. Maij, Indict. ſupradicta XIII.

Datum Romæ XVII. Kal. Iunij anno Domini Noſtri Ieſu Chriſti 1060. per manus Humberti S. E. Syluæ Candidæ Epiſcopi & A. S. Bibliothecarij anno II. Pontificatûs Domini Papæ Nicolai II. Indictione ſupraſcriptâ.

Hic Humbertus Vir ille inſignis fuit Hebraicæ, Græcæ, Latinæquè linguæ doctiſſimus, cuius ope-

operâ in arduis difficilimiſque negotijs Pontifices vſi fuêre, cuius etiam nos in primo Capite noſtri operis in Lucem iam editi de *Conjecturis Azymi & Fermentati* meminimus. Sub eodem hoc anno Raſponus ſic ſcribit. *Maynardus Capuanus Monachus Caſſinas, vice Humberti S. E. Syluæ Candidæ Epiſcopi Ap. Sedis Bibliothecarij munus geſſit ſub Nicolao II. anno 1060. poſt Humberti obitum, & in regimine Epiſcopatûs, eidem ſucceſſit ſub Alexandro II. ab anno 1063. vſque ad annum 1066. ex Priuilegijs Eccleſiarum Piſanæ & Florentinæ.* Ego tamen in Piſana tantum Eccleſia hoc Priuilegium reperi ab Vghellio relatum inter eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopos pag. 420. per quod confirmantur cuidam Canonico omnia bona per ipſum poſſeſſa ratione Eccleſiæ S. Mariæ Piſanæ, cuius Priuilegij Data eſt.

MLXIII. Datum Lucæ per manus Maynardi S. E. Syluæ Candidæ Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Bibliothecarij, anno Dominicæ Incarnationis 1063. Indict. I.

De hoc eodem Bibliothecario ſic etiam ſcripſit Vghellius inter Epiſcopos Syluæ Candidæ: *Maynardus Campanus Montis Caſſini Monachus ex Presbytero Cardinalis Syluæ Candidæ Epiſcopus adlectus eſt poſt exceſſum Humberti ab Alexandro II. Sum. Pont. illique Vaticana Bibliotheca commiſſa.*

Vn-

Vnde autem has notitias iſti Auctores deſumpſerint ignoramus, immo contrarium aliunde docemur, nec inter Archiepiſcopos Florentinos vllum Priuilegium ab Alexandro II. eidem Eccleſiæ conceſſum (vt ipſe Raſponus aſſerit) inuenire vnquam potuimus.

A Margarino igitur in eodem Bullario, Conſt. 104. Diploma eſt Alexandri II. quo Monaſterium S S. Saluatoris & Iuliæ Brixien. ſub Sedis Apoſt. protectione, & Regia defenſione confirmatur, & à quacunque Eccleſiaſtica, ac Sæculari iuriſdictione eximitur. Eius Data eſt.

Scriptum per manum Antonij Regionarij Notarij, & Scriniarij S. R. E. Indict. I.

Datum XIII. Kal. Madij per manum Ioannis Epiſcopi S. Albanenſis Eccleſiæ, & Bibliothecarij S. R. E. anno D. N. Ieſu Chriſti 1063. anno verò Pontificatûs D. Papæ Alexand. Iunioris III. Indict. I.

Vox illa *Iunioris* vt mihi, ita quibuſdam prima fronte dubium fortaſſis inducet, facillima tamen explicatu eſt, ita vt Alexandri II. anno III. Datum hoc Priuilegium ſignificet; facta enim comparatione cum Alexandro I. Secundus iſte iunior eſt.

MLXV. Hoc anno contra Raſponi aſſertionem alium fuiſſe Bibliothecarium apparet ex cuiuſdam diplomatis Data, quod ſub Conſtit. 105. à

ſæpe citato Margarino refertur, continetquè confirmationem omnium bonorum per Monaſterium S. Petri Peruſini poſſeſſorum.

Scriptum per manus Guinizonis Notarij Sacri Palatij Sanctæque R. E. in Menſe Aprilis & Indict. III.

Datum Laterani XV. Kal. Maij per manus Petri S. R. E. Bibliothecarij anno IV. Domini Alexandri Papæ II.

MLXVI. Priuilegium Hubaldo Cremonenſi Epiſcopo ab Alexandro II. conceſſum tradit Vghellius Tom. IV. quo confirmantur Cremonenſibus Epiſcopis omnia bona per eos poſſeſſa.

Datum Laterani III. Kal. Nouemb. per manus S. R. E. Subdiaconi & Bibliothecarij anno VII. Pontificatus D. Alexandri Papæ II. ab Incarnat. Verò Domini 1066. Indict. V.

Licèt hìc nomen Bibliothecarij non ſit appoſitum (quod accidit fortè ex Amanuenſis, vel Impreſſoris incuria) Petrum tamen fuiſſe facilè ex ſupradicta & infraponenda Data colligi poſſet.

MLXVII. Ad hunc annum refert Vghellius inter Archiepiſcopos Florentinos quandam Epiſtolam, ſeu potius Confirmationem, ita ſubſcriptam.

Datum Laterani XI. Kal. Iunij per manum Petri S. R. E. Subdiaconi & Bibliothecarij, anno VI. Pontificatûs D. Alexandri PP. II. ab Incarnatio-

natione verò Domini 1067. Indict. V.

Hoc etiam anno eundem Petrum Bibliothecarium extitiſſe conſtat ex quodam Priuilegio ab eodem Alexandro Alfonſo Salernitanæ Eccleſiæ Archiepiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus conceſſo, in quo bona ipſa Eccleſiæ confirmantur, habetque hanc Datam.

Datum Capuæ IV. Id. Octob. per manus Speri (*Petri* tamen legendum, non *Speri*) S. R. E. Subdiaconi & Bibliothecarij anno VII. Pontificatûs Domini Alexandri PP. II. Indict. VII.

MLXVIII. Hoc anno eundem Petrum Bibliothecarij munere functum eſſe, apparet ex quodam Priuilegio quo Acheruntinæ Eccleſiæ Bona ab eodem Alexandro confirmantur, & Arnoldo eiuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo Pallium conceditur, quod Priuilegium hanc Datam præſefert.

Datum Laterani idibus Aprilis per manus Petri S. R. E. Subdiaconi, ac Bibliothecarij, anno ab Incarnat. Domini 1068. Indict. VI. Pontificatûs verò Dom. Alexandri Papæ II. anno VII.

Eundem Alexandrum hoc anno quoddam Decretum ab Epiſcopis Cluſinis pro tempore exiſtentibus obſeruandum ſanciuiſſe reperio in præmemorato Vghellio Tom. 3. pag. 725. cuius Decreti data ſic ſe habet.

Datum Peruſiæ III. Kal. Ianuarij per manus Pe-

tri Clerici ſungentis vices Petri S. R. E. Subdiaconi ac Bibliothecarij anno ab Incarnat. Domicica 1068. Pontificatûs verò D. Alexandri II. anno VII. Indiƈt. VI.

MLXIX. Hocce anno Idem Alexander II. recepit ſub tutela Apoſt. Sedis Canonicam S. Mariæ in Matrice Eccleſiæ Spoletanæ, eique varia Priuilegia conceſſit, prout ex Diplomate relato ab Vghellio in Appendice ad Tom. I. pag. 442. in quo ſic.

Datum Narnenſi Vrbe XVII. Kal. Februarij per manus Petri Clerici fungentis vice Letes S. R. E. Subdiaconi ac Bibliothecarij. Anno ab Incarnat. Domini 1069. Pontificatûs verò D. Alexandri PP. II. Octauo, Indiƈt. VII.

Ex Data quæ ſequitur, Alexandrum prædiƈtum iter feciſſe manifeſtum eſt: conceſſit enim ac confirmauit eo die Alberto Archidiacono Narnienſi, cunƈtiſque Canonicis S. Iuuenalis & Caſſij, necnon & Maximi, illorumque Succeſſoribus in perpetuum omnia bona ipſius Canonicæ ſub Datum in Monaſterio S. Laurentij Catilioni XVI. Kal. Februarij per manus . . . . . S. R. E. Subdiaconi ac Bibliothecarij, anno ab Incarnatione Domini 1069. Pontificatûs verò D. Alexandri Papæ II. anno VIII. Indiƈt. VII.

In hoc Diplomate Bibliothecarij nomen deſide-

deratur, ac in alio antecedenti; attamen in ambobus Petri nomen ſupplendum eſſe exiſtimo, vt in ſequentibus Datis oſtenditur.

MLXX. Mireus in ſuo Codice *Donationum piarum* Cap. 52. Confirmationem adducit factam ab Alexandro II. Præpoſito Harlebecenſi de omnibus bonis per Canonicam S. Saluatoris Diœceſis Nouiomenſis poſſeſſis, cum eiuſdem Canonicæ receptione ſub tutela Apoſtolicæ Sed. Diplomatiſque Data ſequens eſt.

Datum Laterani V. Kal. Februarij per manus Petri Clerici fungentis vice Petri S. R. E. Cardinalis ac Bibliothecarij. Anno verò ab Incarnat. Domini 1070. Pontificatûs autem Dom. Alexandri PP. II. Octauo, Indict. VIII.

Ex Tom. IX. Conciliorum Labbei & Coſſartij eundem ſubſcripſiſſe apparet in Diplomate ad Gebhardum Salzburgenſem Archiepiſcopum directo, in quo Alexander II. concedit, vt vnum Epiſcopatum in Sua Parochia conſtituat cum hac Data.

Data Lateranis XII. Kal. Aprilis per manus Petri Clerici fungentis vice Petri S. R. E. Cardinalis ac Bibliothecarij. Anno ab Incarnat. Domini 1070. Pontificatûs verò D. Alexandri PP. II. nono, Indict. VII.

Eodem anno apud Margarinum in Bullario Caſſinenſi Conſt. 106. habetur omnium bono-

rum

rum Confirmatio facta monaſterio S. Mariæ Vrbis Florentiæ. Cuius Confirmationis Data eſt.

Datum Lucæ Non. Octob. per manus Petri S. R. E. Presbyteri ac Bibliothecarij Anno X. Pontificatûs D. Alexandri PP. II. Dominicæ verò incarnationis 1070. Indict. IX.

MLXXI. Idem Margarinus loco citato Conſt. 108. aliud Priuilegium oſtendit Caſſinenſi Monaſterio conceſſum, ſub Datum in Caſtro Caſſino Die Kalendarum Octobris per manus Petri S. R. E. Subdiaconi, atque vice Domini Colonienſis Archiepiſcopi Bibliothecarij anno X. Pontificatûs D. Alexandri PP. II. ab Incarnat. verò Dominica 1071. Indict. IX.

MLXXII. Alterum quoque haud abſimile Priuilegium refert idem Auctor in Conſtitut. 109. conceſſum Monaſterio S. Proſperi Rhegien. ſub Datum Lucæ IV. Id. Martij per manus Petri S. R. E. Presbyteri Cardinalis ac Bibliothecarij anno XI. Pontificatûs Domini Alexandri PP. II. Dominicæ verò Incarnationis 1072. indict. IX.

Eodem anno aliam nobis Datam exhibet Bullarium Romanum, quæ eſt approbationis Congregationis Monachorum Eremitarum Camaldulenſium, aliàs Campi amabilis Ordinis S. Benedicti, atque ita ſe habet.

Datum Lucæ IV. Kal. Nouemb. per manus Petri

tri S. R. E. Preſbyteri Cardinalis ac Bibliothecarij, anno XII. Pontificatûs ipſius Dom. Alexandri PP. II.

MLXXIII. Ad hunc annum Raſponus quendam Guillelmum A. S. Bibliothecarium facit: contrarium tamen apparet ex quodam Priuilegio Altmanno Patauienſi Epiſcopo ab Alexandro II. conceſſo, ac ex *Metropoli Salisburgenſi* Tom. 2. deſumpto, in quo bona Eccleſiæ, quam ipſe Altmannus in portu Oeni fluminis conſtruxit, ſpeciali hoc priuilegio confirmat. eius Data eſt.

Datum Romæ V. Non. Martij per manus Petri S. R. E. Preſbyteri Cardinalis ac Bibliothecarij anno XII. Pontificatûs Dom. Alexandri II. Papæ Indict. XI.

MLXXV. Hoc autem anno nouus quidam Bibliothecarius reperitur in quodam Decreto Synodi Beneuentanæ, celebratæ anno Domini 1075. & à Labbeo in Append. ad Tom. X. Concil. pag. 1815. relatæ, in quo confirmatur ius Abbatiæ S. Sophiæ in duas Eccleſias, quod Decretum ita ſubſcriptum eſt.

Sctiprum autem per manus Ioannis Clerici, & Cantoris noſtræ Eccleſiæ Menſe Martio Indict. XIV. Datum verò per manus ſupradicti Rofridi Diaconi atque Bibliothecarij die videlicet Kal. Aprilis

Ex

MLXXVI. Ex Vghellio inter Archiepiſcopos Florentinos habemus Priuilegium Gregorij VII. quo ſub Patrociniô atque tutelâ Sedis Apoſtolicæ ſuſcipit Canonicam Eccleſiæ Florentinæ ſub.

Datum Florentiæ V. Kal. Ianuarij per manus Petri S. R. E. Presbyt. Cardinalis ac Bibliothecarij anno IV. Pontificatûs Dom. Gregorij VII. Papæ anno videlicet Dominicæ Incarn. 1076. Indict. XIV.

In Bullario Ordin. Cluniac. Pag. 21. legitur quoddam Diploma, quo Gregorius VII. Monaſterium Gigniacenſe S. Hugoni, & eius Succeſſoribus Abbatibus Cluniacenſibus in perpetuum regendum committit.

Datum Laterani V. Id. Decemb. per manus Petri S. R. E. Presbyt. Cardinalis ac Bibliothecarij, anno IV. Pontificatûs Domni Gregorij Papæ VII. Indict. XIV. Bene valete.

Idem Petrus eodem anno ſubſcripſit duobus alijs Diplomatibus, quæ vide in eodem Bullario Ord. Cluniac. pag. 20.

MLXXVIII. Habetur etiam apud Vghellium proximè ſuperiori ſimile Priuilegium, quo præfatus Pontifex ſub protectione S. Sed. Ap. recipit Monaſterium S. Saluatoris in loco, qui dicitur Septimo, cuius Diplomatis hæc Data.

Datum Laterani IV. Id. Ianuarij per manus

Pe-

Petri S. R. E. Preſbyteri ac Bibliothecarij anno V. Pontificatûs D. Gregorij VII. Papæ, ab Incarnatione verò Domini 1078. Indict. I.

Sammarthani Fratres Reipublicæ Literariæ ſat noti ob eruditos labores, quos egregiè quidem nauarunt, præſertim in *Gallia Chriſtiana* in Tom. IV. de Abbatijs Galliarum, vbi agunt de Abbatia Kemperlegij, referunt Priuilegium à Gregorio VII. conceſſum Abbati Monaſterij S. Crucis in Britannia, ſiti in Villa, quæ dicitur Auantat, quo Priuilegio recipit ſub Tutela & defenſione dictum Monaſterium, huius Data eſt.

Datum Laterani VII. Kal. April. per manus Petri S. R. E. Preſbyteri Cardinalis, ac Bibliothecarij Anno V. Pontificatûs Dom. Gregorij VII. Indict. I.

MLXXXI. Hoc etiam anno præfatus Gregorius recipit ſub protectione Monaſterium S. Zenonis Vrbis Piſarum ſub Datum Laterani IV. Non. Martij per manus Petri S. R. E. Preſbyteri Cardinalis ac Bibliothecarij anno IX. Pontificatûs Domini Gregorij VII. Papæ Indict. IV. 1081. quod Priuilegium exhibet nobis Vghellius in Archiepiſcopis Piſanis.

MLXXXIII. Rocchus Pirrhus in Sua *Sicilia Sacra*, ac notitia prima Eccleſiæ Panormitanæ ſuggerit nobis aliud eiuſdem Pontificis Diploma, quo con-

firmantur omnia Priuilegia vſque tum Archiepiſcopis Panormitanis conceſſa ſub Datum Romæ XVI. Kal. Maij per manus Beniamin fungentis vice Petri S. R. E. Presbyteri Cardinalis & Bibliothecarij anno Dominicæ Incarnat. 1083. Pontificatûs verò Gregorij VII. Papæ anno X. Indict. VI.

MLXXXVIII. Ex Vghellio in Append. Tomi IX. pag. 921. habemus Priuilegium Victoris III. conceſſum Vrſo Epiſcopo, quo ſub Patrocinio Ap. Sedis eius Eccleſia recipitur ſub Datum Capuæ per manus . . . . Signenſis Epiſcopi, Romanæ verò Eccleſiæ Bibliothecarij, anno ad Incarnat. Domini noſtri Ieſu Chriſti 1088. anno verò I. Pontificatûs Domini Victoris III. Papæ Indict. X.

Nomen, quo hæc Lacuna ſupplenda eſſet S. Brunonis opinor eſſe, de quo meminit Martyrologium Romanum die XVIII. Menſis Iulij, ac Baronius in illius Notis, alijque Scriptores.

MLXXXX. Seruidus S. Palatij Subdiaconus pro Bibliothecario ſub Clemente III. Antipapa anno 1090. ſe geſſiſſe fertur à Raſpono, ex Priuilegio Eccleſiæ Antibarenſis.

MCV. Vghellius in Epiſcopis Papienſibus Diploma quoddam adducit à Paſchali II. conceſſum Guidoni Epiſcopo Papienſi, quo omnia Priuilegia ſcriptaque authentica eius Eccleſiæ etiam tum conceſſa, confirmantur. Data ſic ſe habet.

Da-

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Cardinalis ac Bibliothecarij XI. Kal. Aprilis Indiƈt. XIII. anno Dominicæ Incarn. 1105. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ VI.

MCVI. Eundem Ioannem Bibliothecæ præfuiſſe hoc anno docemur ex Bullario Romano, & Priuilegio Rocio Baſilicæ S. Saluatoris Priori, eiuſquè fratribus à Paſchali II. conceſſo, in quo diƈtæ Eccleſiæ fines deſignantur, & ab omni ſuperioritate eximitur, ſub

Datum Laterani per manus Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij VI. Kal. Ianuarij Indiƈt. XV. Incarnat. Dominicæ 1106. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ an. VII.

In Tom. X. Concil. Labbei pag. 684. confirmatio quædam Iurium & poſſeſſionum Cluniacenſium adducitur, ex Bibliotheca Cluniac.

Data apud Villam S. Hippolyti per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij VI. Id. Februarij, Indiƈt. XV. Incarnat. Dominicæ anno 1106. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. anno VIII.

Idem etiam ſubſcripſit aliud Diploma conceſſum ab eodem Paſchale Guidoni Abbati S. Stephani Comitatûs Laudenſis, quod Diploma confirmationem Priuilegiorum continet, ac refertur ab Vghellio in Epiſcopis Laudenſibus.

Datum apud Placentiam per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij XVII. Kal. Decemb. Indict. XV. Incarnat. Dominicæ anno 1106. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ anno VIII.

Hoc item anno prædictum Ioannem manum appoſuiſſe videmus cuidam Diplomati à Stephano Baluzio in Lib. 2. Miſcellan. edito, in quo Paſchalis II. omnia bona monaſterij Semichenſis in Hungaria confirmat, atque illud ad Hugonem prædicti Monaſterij Abbatem dirigit, eius Data ſequens eſt.

Datum Parmæ per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij IV. Non. Nouemb. Indict. XV. anno Dominicæ Incarn. 1106. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ VIII. Idem etiam reperitur in quodam Priuilegio in Bullario Ord. Cluniac. pag. 35. adducto, & eodem anno, paucîſque interiectis diebus in alio Priuilegio, quod habetur apud Vghellium in Archiepiſcopis Barenſibus, Euſtathio Abbati S. Nicolai ſub tutela Apoſtolicæ Sedis recipitur, cuius Data huiuſmodi eſt.

Datum apud Porticum S. Petri Romæ XIV. Kal. Decemb. per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij. Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ anno 1106. Pontificatûs au-

tem Domini Paſchalis II. Papæ VII.

MCVII. Eundem Ioannem Bibliothecarium extitiſſe videmus ex Priuilegio in Bullario Caſſinenſi Conſtit. 132. à Margarino relato, in quo Monaſterium S. Saluatoris & S. Luciæ Virginis Ciuitatis Brixienſis, ſub tutela Apoſt. Sed. accipitur. Habetque hanc Datam.

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarij V. Id. Maij Indict. XIV. anno Dominicæ Incarn. 1107. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ VII.

Idem habetur in Diplomate ab ipſo Paſchale S. Hugoni directo, quo monaſterium S. Dionyſij de Nogento ſub ditione Cœnobij Cluniacenſis confirmatur ſub Datum Siluiniaci per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis & Bibliothecarij VIII. Id. Iunij Indict. XV. Incarn. Dominicæ anno 1107. Pontificatûs autem D. Paſchalis II. Papæ VIII.

Ex Bullario Ord. Cluniac. affertur aliud Diploma à Labbeo in Tom. X. Concil. Ricardo Archiepiſcopo Narbonenſi conceſſum à Paſchali II. quo Narbonenſis Eccleſiæ poſſeſſiones & Iura confirmantur, ſub

Datum apud Priuatum per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij III. Id. Iunij in anno Dominicæ Incarnat. 1107. Pontifi-

tificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ VIII.

Ex eodem Bullario Diploma quoddam nobis ſuggeritur à Labbeo in Tom. X. Concil. pag. 684. quo Diplomate idem Paſchalis II. SVVlmari Abbatiam Hugoni Cluniacenſi Abbati ſubijcit corrigendam. Decernitque vt eius Abbates in perpetuum ab Abbatibus Cluniacenſibus conſtituantur; atque vt cuiuis Monacho ad Cluniacenſe Cœnobium tranſire fas ſit.

Datum apud Aquam bellam per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij II. Non. Auguſti. Indict. XV. Incarn. Dominicæ anno 1107. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis Papæ II. anno IX.

MCVIII. In Hiſtoria Monaſterij Regalis S. Martini de Campis legitur aliud Diploma à Paſchali II. eidem Monaſterio conceſſum, cuius data eſt apud Monaſterium S. Dionyſij per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij II. Kal. Maij Indict. XV. anno 1108.

Aliud etiam eiuſdem Paſchalis refert Vghellius in Archiepiſcopis Florentinis, quo Florentini Monaſtarij S. Mariæ nuncupati bona confirmantur, ſub

Datum Florentiæ per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij anno Dominicæ Incarn. 1108. Oct. Kal. Octob. Indict. I. Pontificatûs verò Dom. Paſchalis II. Papæ anno IX.

Item

MCIX. Item hoc anno præfuit Bibliothecæ Ioannes, vt videre eſt ex quodam Diplomate, quo prædictus Paſchalis II. confirmat Pontio eiuſquè ſucceſſoribus omnia Priuilegia ipſis conceſſa,ſubDatum Romæ in Porticu S. Petri per manum Ioannis S.R.E.Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij IV.Non. Iunij Indict. II. Incarnat. Dominicæ anno 1109. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ anno X. ex Bullario Ord. Cluniac.

Idem habetur in alio Diplomate à Paſchali Papa eidem Pontio Abbati Cluniacenſi conceſſo, in quo de obedientijs ad Cluniacum pertinentibus agitur, huius Datæ tenor eſt.

Datum apud Caſtellum per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij XVII. Kal. Nouemb. Indict. III. Incarn. Dominicæ anno 1109. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. XI. ex Bullario Ord. Cluniac.

MCX. Ex Hiſtoria Comitum Pictau. pag.431. habemus Diploma, quo Monaſterium S. Maxentij in S. Sedis Apoſtolicæ protectione recipitur ab eodem Paſchali II. conceſſum Gosfrido dicti Monaſterij Abbati, ſub

Datum Romæ in Porticu B. Petri per manum Ioannis S. R. E. Diac. Cardinalis ac Bibliothecarij V. Kal. Maij, Incarnat. Domini 1110. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ anno XI.

Eun-

Eundem Ioannem Bibliothecarij munus obijſſe etiam hoc anno perſpicuum eſt ex Priuilegio conceſſo Vincentio Abbati Monaſterij S. Benedicti Cuperſanenſis, eiuſque ſucceſſoribus, quo dictum Monaſterium ſub tutela S. Ap. Sed. excipitur.

Datum Beneuenti per manum Ioannis S. R. E. Cardinalis ac Bibliothecarij Idibus Iulij, Indict. III. Incarnat. Dominicæ anno 1110. Pontificatûs autem Domini Paſchalis N. anno XI.

Nota litera N. poſt nomen Paſchalis perperam poſitam eſſe loco duplicis I. ita vt Linea illa tranſuerſa eradenda, & Paſchalis II. legendum ſit.

MCXIII. Eundem hoc anno ſubſcripſiſſe videmus in Data cuiuſdam Diplomatis, Caſſinenſi Monaſterio ab eodem Paſchali conceſſi, & à Margarino Conſt. 139. nobis exhibiti, quo idem Monaſterium cæteris per Occidentem Cœnobijs præfertur, & à quacunque iuriſdictione liberatur, ſoliquè S. R. E. ſubijcitur. Eius hæc Data.

Scriptum per manum Rainerij Scriniarij, & Notarij Sacri Palatij.

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis atque Bibliothecarij pridie Non. Februarij Indict. VI. Incarn. Dominicæ anno 1113. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ anno XIII.

MCXIV. Stephanus Baluzius lib. 2. Miſcellan.

lan. refert quoddam Diploma Galoni & Capitulo Pariſienſis Eccleſiæ directum; quo Paſchalis II. Ludouici VI. literis eidem Eccleſiæ conceſſis, pondus Apoſtolicæ auctoritatis addit. huius Data eſt.

Datum Beneuenti per manum Iohannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij IX. Kal. Februarij. Indict. VI. Incarn. Dominicæ anno 1114. Pontificatûs autem D. Paſchalis II. Papæ anno XIV.

Nota hìc annum Incarnationis in margine appoſitum eſſe 1113. ſed idem Diploma ſub anno 1114. adducitur à Labbeo Tom. X. Concil. pag. 680.

Scæuola & Ludouicus Sammarthani *in Gallia Chriſt*, *ac Abbatijs Galliarum* Priuilegium adducunt Ottoni Abbati Monaſterij S. Victoris Maſſilienſis, ab eodem Paſchali II. directum, quo alia omnia Priuilegia eidem monaſterio collata, confirmantur, habetque hanc Datam.

Scriptum per manum Chryſogoni Notarij Sacri Palatij.

Datum Laterani per manus Ioannis S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij XI. Kal. Maij Indict. VI. Incarn. 1114. Pontificatûs Paſchalis II. anno XIV.

Legimus & aliud Diploma apud ſupra citatum Baluzium quo bona Eccleſiæ B. Petri de Valerijs in Septimania confirmantur ab eodem Paſchali;

atque Ioanni dictæ Eccleſiæ Priori dirigitur. Cuius Datæ is tenor.

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diac. Card. ac Bibliothecarij IV. Non. Decemb. Indict. VIII. Incarn. Dominicæ anno 1114. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ XVI.

Ex Bibliotheca Cluniacenſi, & ex Labbeo Tom. X. Concil. vidimus Priuilegium, quo confirmantur omnes poſſeſſiones à Pontio Cluniacenſi Abbate acquiſitæ, cuius Datæ tenor eſt.

Datum Anagniæ per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij VII. Id. Nouemb. Indict. VIII. Incarn. Dominicæ anno 1114. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ XVI.

Idem teſtatur aliud Diploma, in Bullario Ord. Cluniac. pag. 37. relatum.

MCXV. Margarinus in Bullario Caſſinenſi Conſt. 142. Priuilegium adducit Ioanni Abbati S. Petri Peruſini conceſſum ab eodem Paſchali II., in quo eius Monaſterij bona enumerantur, & confirmantur, ac ſub Ap. Sedis protectione ſuſcipiuntur. Eius Data ſic ſe habet.

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij VI. Id. Februarij Indict. VIII. Incarn. Dominicæ anno 1115. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ anno XVI.

Aliud

Aliud Diploma ab Vghellio refertur in Epiſcopis Marſorum, Berardo Marſicanæ Eccleſiæ Epiſcopo à Paſchali II. conceſſum, in quo omnium bonorum eius Eccleſiæ confirmatio continetur, atque ita ſubſcriptum eſt.

Scriptum per manum Geruaſij Scriptoris Regionarij, & Notarij S. Palatij.

Sequuntur poſtea Cardinalium, & Epiſcoporum ſubſcriptiones, deinde ſic.

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Card. & Bibliothecarij V. Kal. Martij, Indict. VII. Incarnationis Dominicæ anno 1115. Pontificatûs quoque Domini Paſchalis II. Papæ anno XV.

Idem reperitur ſubſcriptus in alio Diplomate, à Stephano Baluzio in Lib. 2. Miſcellan. edito, quo Paſchalis iudicium Vrbani II. de concordia inita inter Monachos S. Albini, & Vindocinenſes confirmat, illudque dirigit ad Archembaldum Abbatem S. Albini Andegauenſis cum hac Data.

Data Beneuenti per manum Ioannis Diaconi Bibliothecarij VIII. Kal. Iunij Indict. VIII. Incarnat. Dominicæ anno 1115.

MCXVI. In Tom. X. Concil. Labbei pag. 662. leges in quodam Diplomate confirmationem omnium Eccleſiæ Auguſtodunenſis poſſeſſionum, Stephano Auguſtodunenſi Epiſcopo factam, ſub

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij II. Id. Martij Indict. IX. Incarn. Dominicæ anno 1116. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ anno XVII.

Aliud quoque habes in eodem Tomo X. pag. 809., Clero & Populo Biſuntinæ Eccleſiæ directum, quo Eccleſiæ S. Stephani Priuilegia confirmantur.

Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij IX. Kal. Aprilis Indict. IX. Incarn. Dominicæ 1116. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ anno XVII.

Hoc etiam anno, eundem Ioannem in eodem Bibliothecarij munere perduraſſe teſtatur ſubſcriptio cuiuſdam Diplomatis, ab ipſo Paſchali II. Gregorio Abbati Monaſterij S. Archangeli de Morphiſa Neapoli ſiti, conceſſi, quo dictum monaſterium ſub S. Ap. Sedis protectione ac tutela ſuſcipitur. Eius Data eſt.

Datum Albæ per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij III. Id. Aprilis. Indict. IX. Incarnat. Dominicæ anno 1116. Pontificatûs autem Dom. Paſchalis II. Papæ anno XVII.

Idem apparet ex alio Diplomate, quod habetur apud Vghellium Tom. 6. pag. 1287. Ioanni Abbati Monaſterij S. Bartholomæi in Pennenſi Parochia ſiti, à Paſchali II. conceſſo, ad confirmatio-

tionem omnium bonorum dicti Monaſterij, ſub.

Datum apud Tranſtyberim per manum Ioannis S. R. E. Diaconi Card. Bibliothocarij IV. Non. Decemb. Indict. X. Incarn. Dominicæ anno 1116. Pontificatûs autem Domini Paſchalis II. Papæ anno XVIII.

MCXVIII. Hoc autem anno, munus Bibliothecarij geſſiſſe quendam Chryſogonum Malcondinum Piſanum, agentem vices Ioannis Cancellarij ſub Paſchali II. Papa Diaconum Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano, narrat Raſponus, lib. 3. Cap. 16. ſed vnde iſta deprompſerit ignoramus. Quin immo eodem anno dictum Ioannem ſubſcriptum reperimus in quodam Diplomate in Hiſtoria Monaſterij Regalis S. Martini de Campis relato, & à Calliſto II. eidem Monaſterio conceſſo, ac dato apud S. Dionyſium per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij V. Kal. Decemb. Indict. XIII. anno 1118.

MCXIX. Ex Priuilegijs Ord. Ciſtercienſis Diploma quoddam habetur, quo Calliſtus II. Priuilegia, ſeu ſtatuta dicti Ord. confirmat, atque illud Stephano Ciſtercienſis monaſterij Abbati dirigit. Eius Data ſequens eſt.

Datum Sedeloci per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij X. Kal. Ianuarij Indict. XIII. Incarn. Dominicæ anno 1119.

Pon-

Pontificatûs autem Domini Calliſti II. Papæ an. I.

Idem Priuilegium habetur in Tom. 7. Annal. Ord. S. Benedicti.

Apud Labbeum Tom. X. Concil. pag. 858. legitur quædam Epiſtola Synodalis, qua Cella S. M. de Gordiano Anianenſi Monaſterio adiudicatur, aduerſus Arelat. Archiepiſc. & Monachos Caſæ Dei. Cuius Data eſt.

Datum Toloſæ per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij, Idib. Iulij Indict. XII. Dominicæ Incarn. anno 1119. Pontificatûs autem Domini Calixti II. Papæ anno I. Ex Diplomate à Calliſto II. conceſſo Petronillæ Abbatiſſæ Monaſterij S. Mariæ de Fonte-Ebraudi, eiquè in eo munere Monialibus ſucceſſuris, habetur confirmatio bonorum, & conſecratio, ſub

Datum Turoni apud maius monaſterium per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij XVII. Kal. Octob. Indict. XIII. Dominicæ Incarn. anno 1119. Pontificatûs autem Dom. Calixti II. Papæ anno I.

Refertur hoc Priuilegium à Scæuola & Ludouico Sammarthanis fratribus in *Abbatijs Galliarum*.

Stephanus Baluzius Lib. 2. Miſcellan. exhibet Priuilegium Girardo Abbati Monaſterij S. Mariæ Ioſaphat iuxta Leugas à Calliſto II. conceſſum, quo eiuſdem Eccleſiæ bona ſub S. Ap. Sed. tutela ac pro-

protectione ſucipiuntur; atque hanc Datam præfefert.

Datum Remis per manum Criſogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarij Kal. Nouemb. Indict. XII. Incarnat. Dominicæ anno 1119. Pontificatûs autem Domini Calixti II. Papæ anno primo.

Aliud eodem anno Priuilegium ab eodem Chryſogono ſubſcriptum extat in Bullario Ord. Cluniac. pag. 40.

Apud Labbeum Tom. X. Concil. pag. 829. legitur confirmatio capitulorum Ciſtercienſis Monaſterij facta à Calliſto II. ac Stephano Abbati Ciſtercienſi directa, cum hac Data.

Datum Sedoloci per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecárij X. Kal. Ianuarij Indict. XII. Incarnationis Dominicæ 1119. Pontificatûs autem Domini Caliſti II. Papæ anno I.

Aliud eiuſdem anni Priuilegium habetur in Notis Sirmondi ad Goffridum, ac in Tom. X. Concil. Labbei pag. 832. in quo eſt Confirmatio omnium Priuilegiorum Vindocinenſis Monaſterij, Goffrido ipſius Monaſterij Abbati conceſſa, ſub Datum Pariſijs per mánum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij VIII. Id. Octob. Indict. XIII. Dominicæ Incarn. anno 1119. Pontifi-

tificatûs autem Dom. Calliſti II. Papæ anno I.

MCXX. Hoc anno, quidam nomine Sico, Bibliothecarius reperitur apud ſæpe laudatum Vghellium, in Archiepiſcopis Beneuentanis, ex quodam Priuilegio Ioanni Abbati Monaſterij S. Sophiæ intra Beneuentum ſiti, conceſſo, ac Confirmationem omnium bonorum eiuſdem Monaſterij continente, cum hac Data.

Datum Beneuenti per manus Siconis S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij III. Kal. Decemb. Indict. XIV. Pontificatûs autem Domini Calliſti II. Papæ anno II. ab Incarnatione autem, omnipotentis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti anno 1120.

Idem Diploma videri poteſt in Chronico Beneuentani Monaſterij S. Sophiæ Ord. S. Benedicti apud ſupradictum Vghellium Tom. VIII. ſed vtramque Diplomatis ſubſcriptionem erroneam eſſe crediderim, cùm huiuſmodi Siconis mentio apud neminem reperiatur. Legendum itaque opinor per manus *Chryſogoni*, vt ipſa nominum quadam affinitas videtur ſuadere, immò ex infra dicendis clariſſimè apparebit, & præſertim ex quodam Diplomate in Bullario Ord. Cluniac. relato, ac Pontio Abbati Cluniacenſi directo, quo confirmantur omnia Priuilegia eidem Monaſterio Cluniacenſi conceſſa, ſub

Datum Valentiæ per manus Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij VIII. Kal. Martij In-

Indiƈt. XIII. Incarn. Dominicæ anno 1120. Pontificatûs autem Dom. Calliſti II. Papæ anno II. Idem teſtatur quædam confirmatio omnium bonorum Trenorcienſis Cœnobij, Franconi eiuſdem Cœnobij Abbati ab eodem Calliſto II. conceſſa, ac à Labbeo Tom. X. Concil. pag. 841. relata, cuius hæc Data.

Datum apud Celſinlaniam per manum Criſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij VI. Id. Maij Indiƈt. XII. Dominicæ Incarn. anno 1120. Pontificatûs autem Dom. Calliſti Papæ II. anno I.

Chifletius in Hiſt. Trenorciana, & Labbeus Tom. X. Concil. pag. 834. Diploma quoddam adducunt, quo Calliſtus II. Canonicos S. Ioannis & S. Stephani litigantes iuramentis ſuis ſoluit, quod Priuilegium Canonicis Biſuntinæ Eccleſiæ directum eſt, ac

Datum apud Magalonam per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij II. Kal. Iulij Indiƈt. XII. Dominicæ Incarn. 1120. Pontificatûs autem Domini Calliſti II. Papæ anno I.

MCXXI. Chryſogonus, cuius mentionem fecimus, Bibliothecæ præfuiſſe legitur in Diplomate Coëpiſcopis per Inſulam Corſicæ conſtitutis à Calliſto II. directo, quo Piſano Archiepiſcopo in Corſicanos Epiſcopos ius admittitur, ciuſque Data eſt.

Datum Laterani per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij III. Non. Ianuarij Indict. XIV. Incarn. Dominicæ an. 1121. Pontificatûs autem Domini Calixti II. Papæ anno II. ex Vghellio in Epiſcopis Ianuenſibus.

Aliud etiam Priuilegium extat apud eundem Vghellium in Epiſcopis Ianuenſibus Villano præpoſito, & Canonicis Eccleſiæ B. Laurentij Ianuenſis conceſſum, in quo confirmatio bonorum eiuſdem Eccleſiæ continetur.

Datum Laterani per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij Non. Ianuarij Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ anno 1121. Pontificatûs autem Dom. Calliſti II. Papæ anno II.

Ex Bibliotheca Cluniacenſi Diploma offert nobis Labbeus in Tom. X. Concil. pag. 844. quo Calliſtus II. Eccleſiam S. Theodori de Rocca Bouecorit Cluniaco attribuit.

Datum Laterani per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij V. Kal. Ianuar. Indict. XV. Pontificatûs autem Dom. Calixti II. Papæ anno II.

Idem legitur in diplomate, quod habetur apud Vghellium in Epiſcopis Catacenſibus, Ioanni trium Tabernarum Epiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus conceſſum, in quo omnia bona eidem Eccleſiæ confirman-

firmantur ; ac ita ſubſcribitur .

Datum Laterani per manus Griſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij XVIII. Kal. Februarij Indict. XIV. Dominicæ Incarn. 1121. Pontificatûs verò Domini Calixti Papa II. anno II.

Hundius in *Metrop. Salisburg.* & ex eo Labbeus in Tom. X. Concil. pag. 848. exhibent Priuilegium, quo idem Calliſtus Pontifex Ottoni de Caſtro Iringi ædificandæ Eccleſiæ, ac Monaſterij poteſtatem facit, ſub certis tamen conditionibus, cuius Data eſt.

Per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij III. Kal. Aprilis Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ anno 1121. Pontificatûs autem Domini Calixti Papæ II. anno III.

Nec omittendam duco aliam eiuſdem ſubſcriptionem, ex qua Pontificis mora extra Vrbem elicitur, nempe.

Datum Placentiæ per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij XV. Kal. Maij Indict. XIII. Incarnat. Dominicæ anno 1121. Pontificatûs autem Domini Calliſti II. Papæ anno II. Quæ data habetur in Conſtit. 146. Tom. 2. Bullarij Caſinenſis.

Eodem anno ipſum Chryſogonum in officio Bibliothecarij perduráſſe colligitur ex Priuilegio conceſſo Roberto Epiſcopo Auerſano, eiuſque ſuc-

ceſſoribus ab eodem Calliſto, in quo Auerſana Eccleſia Romano Pontifici immediatè ſubijcitur, ſub . . . .

Datum Beneuenti per manum Griſogoni S. R. E. Diaconi Card. Bibliothecarij Oct. Kal. Octob. Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ 1121. Pontificatûs Calixti II. anno 2.

Aliud exhibet nobis diploma Guilielmus Marlot in *Hiſtoria Metrop. Remenſis* Tom. 2. lib. 2. Cap. 31. in quo Calliſtus II. ad Ludouici Francorum Regis intuitum Eccleſias Nouiomenſem, & Tornacenſem ad ea vſque tempora vnitas, in duos Epiſcopatus diuidit, atque vnicuique proprium Præſulem attribuit. Data ſic ſe habet.

Datum Neocaſtri per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij V. Id. Decemb. Indict. XV. Incarnat. Dominicæ 1122. Pontificatûs autem Domini Calliſti II. Papæ anno III.

Reperitur idem ſubſcriptus in Diplomate Fulgentio Abbati Affligimienſis Monaſterij Cameracenſis Diœceſis conceſſo, in quo Eccleſiæ Bornhemienſis regimen Affligimienſibus commiſſum firmatur ab eodem Calliſto ſub Datum apud S. Petrum per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij III. Februarij, Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ an. 1121. Pontificatûs autem

Dom.

Dom. Calliſti II. Papæ III. ex Miræo in Diplomatibus Belgicis cap. 50.

MCXXII. Præfuit etiam hoc anno Bibliothecæ Chryſogonus, vt teſtatur Diploma ab eodem Calliſto Gaufrido Melitenſi Epiſcopo eiuſque Succeſſoribus conceſſo, in quo Melitenſis Eccleſia ab Archiepiſcopi iuriſdictione eximitur, Sanctæque Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubijcitur. En eius Data.

Datum Laterani per manum Gryſogoni Catholicæ R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij X. Kal. Ianuarij. Indict. XV. Incarnat. Dominicæ anno 1122. Pontificatûs autem Domini Calixti II. anno III. ex Vghellio in Melitenſibus Epiſcopis.

In Bullario Ord. Cluniac. pag. 41. Priuilegium eſt Confirmationis Eccleſiæ S. Theodori de Roccha bouccorit, ſæpedicto Abbati Pontio Cluniac. directum, ac

Datum Laterani per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij V. Kal. Ianuarij Indict. XV. Incarnat. Dominicæ anno 1122. Pontificatûs autem Domini Calliſti II. Papæ an. IV. Legitur idem in alio Diplomate conſecrationem Catacenſis Eccleſiæ continente, ac ab Vghellio relato, cuius hæc Data.

Datum Catanzarij per manum Griſogoni S. R.

E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij V. Kal. Ianuarij Indict. XV. anno Dominicæ Incarnationis 1122. Pontificatûs verò Dom. Calixti II. Papæ an. IV.

Hundius in *Metrop. Salisburg.* & ex eo Labbeus in Tom. X. Concil. pag. 850. afferunt Priuilegium, ad Canonicos Regulares Bergteſtadenſes directum, quo eorum inſtitutum Calliſtus II. Pontifex probat, ſub

Datum Laterani per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij VII. Id. Maij Indict. XIV. Incarnat. Dominicæ anno 1122. Pontificatûs autem Domini Calixti II. Papæ anno III.

Aliud Priuilegium immunitatis Franconi Trenorcenſi Abbati conceſſum, nobis ſuggeritur à Labbeo Tom. X. Concil. pag. 842. cuius Data eſt quæ ſequitur.

Datum Albæ per manum Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij XV. Kal. Iunij Indict. XIV. Incarn. Dominicæ anno 1122. Pontificatûs Domini Calixti Papæ anno III.

Hunc eundem Chryſogonum ſubſcrptum lego in quodam Diplomate, quo Capitulo & Canonicis Eccleſiæ Veronenſis Priuilegia per Calliſtum II. Papam confirmantur, ſub

Datum in Territorio Palinenſi XVIII. Kal. Iulij Indict. XV. Incarn. Dominicæ 1122. Pontificatûs

catûs autem Domini Calliſti II. Papæ anno III. per manum Chryſogoni Diaconi & Cancellarij S. Ap. Sedis.

Obſeruandum hìc eſt præfatum Chryſogonum huic Priuilegio ſubſcripſiſſe nomine Cancellarij; quare dicendum, aut hanc ſubſcriptionem erroneam eſſe, aut gratias à Pontifice conceſſas per diuerſas vias expeditas fuiſſe. Vnde quando duo officia in eandem perſonam erant collata, ille ſe nomine ipſius officij ſubſcribebat, per quod expedire opus erat, quod obſeruari ipſe vidi à Bon. mem. Eminentiſſimo Cardinali Franciſco Barberino, qui erat Epiſcopus Oſtienſis, & Vicecancellarius: Vnde cùm ſubſcribebat materias expeditas per officium Vicecancellariatûs nomen ſuum apponebat, videlicet *Franciſcus Vicecancellarius*. ſed ſi Eccleſiam ſuam reſpicerent, ſubſcriptio erat: *Franciſcus Cardinalis Barberinus Epiſcopus Oſtienſis*. Si verò dignitatem Cardinalitiam, ſuum tantummodo nomen & cognomen apponebat, videlicet: *Franciſcus Cardinalis Barberinus*. Et egomet aliquando ſimplex nomen appono, interdum addo: *Abbreuiator Literarum Apoſtolicarum*. Aliàs omiſſo huius officij titulo, pono: *Magiſter Breuium*. Quandoque etiam eo relicto, ſubſcribo: *Proſummator*, prout viæ, per quas expediri debent materiæ, videntur exigere.

Mea

Mea hæc coniectura confirmatur ex eo; quod inuenimus eundem Chryſogonum ſubſcriptum nomine Diaconi tantùm, vt videre eſt in Bullario Caſſinenſi Tom. 2. Conſtit. 141. & apud Vghellium Tom. I. pag. 856. ac in Tom. VIII. pag. 685. & in Tom. III. pag. 438.

Ex opere Caſtiſoni de *Primatu Toletano* & Labbeo Tom. X. Concil. pag. 853. ſubſcriptum eundem habemus in quodam Diplomate, in quo iura Primatûs Toletani continentur ſub Datum Mantiæ per manus Chryſogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarij III. Non. Nouemb. Indict. XV. Incarnat. Dominicæ anno 1122. Pontificatûs autem Domini Calliſti II. Papæ anno III.

MCXXIII. Vgo S. R. E. Subdiaconus, Bibliothecarij vices geſſiſſe fertur à Roſpono hoc anno MCXXIII. ego verò ſubſcriptum eundem video in Conſtitut. 147. in Bullario Caſſinenſi Tom. II. ſed abeſque mentione quod Bibliothecarij vices gereret. Sed tantummodo quod eſſet Subdiaconus. At apud Vghellium in Tom. 5. pag. 1280. inter Patriarchas Venetiarum num. 12. in hoc eodem anno reperio Priuilegium Calliſti II. ſubſcriptum ab Aimerico S. R. E. Diacono Cardinale & Cancellario. Quare ſi in eodem anno aderat Vgo Bibliothecarius vt oſtendit Raſponus, Cancellarij officium à Vicecancellario differebat.

MCXLI. Quidam nomine Gerardus hoc anno Bibliothecæ munus geſſit, vt teſtatur quoddam Diploma Innocentij II. Adæ Abbati de Mortuo Mari, eiuſque fratribus conceſſum, quod habetur apud Arturum du Monſtier in ſua *Neuſtria Pia* in Abbatibus Mortui Maris Cap. 5.

Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Card. & Bibliothecarij II. Non. Ianuarij Indict. V. anno Dominicæ Incarnat. 1141. Pontificatûs verò Domini Innocentij Papæ XII. & apud ſæpe memoratum Vghellium Tom. 3. pag. 120. inter Archiepiſcopos Florentinos ſub num. 26. inuenio ſubſcriptum Aimericum ſeu Almericum S. R. E. Diaconum & Cancellarium, in quadam Confirmatione donationis factæ Cœnobio Sancti Ambroſij Florentini, Quare in hoc eodem anno itidem diſtincta apparent munera Bibliothecarij, & Cancellarij.

MCXLII. Eiuſdem Bibliothecarij mentio fit in alio diplomate Raymundo Toloſano Epiſcopo ab eodem Innocentio conceſſo, in quo Eccleſia S. Stephani ſub Apoſtolica protectione ſuſcipitur cum hac Data, vt eſt apud Sammarthanos fratres in *Gallia Chriſt.* Tom. I. Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Card. ac Bibliothecarij XIII. Kal. Maij Indict. V. Incarnat. 1142. Pontificatûs verò Innocentij II. Papæ anno III.

Euidens tamen eſt error in anno Pontificatûs Innocentij, ac decem annorum prochroniſmus, vbi enim legitur III., XIII. ſcribendum eſt. Reperitur idem ſubſcriptus hoc anno in alio Diplomate Abraham Archipresbytero & Canonicis Vercellenſis Eccleſiæ ab eodem Innocentio conceſſo, in quo bona dictæ Eccleſiæ ſub tutela Ap. Sed. ſuſcipitur. Eius Datam hic, prout ab Vghellio in Vercellenſibus Epiſcopis refertur, apponimus.

Datum Latum per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Card. ac Bibliothecarij VII. Kal. Maij Indict. V. Incarnat. Domini anno 1142. Pontificatûs Domini Innocentij II. Papæ anno XIII.

Corrupta etiam huiuſmodi Data eſt in Voce *Latum*, cuius loco ſcribendum cenſeo *Laterani*.

Labbeus in Tom. X. Concil. pag. 963. Diploma ex Biblioth. Cluniac. deſumptum exhibet ad Petrum Abbatem Cluniacenſem directum, in quo Monaſterium de Lerdecumba in Anglia à Rege Stephano datum loco centum marcarum, quas Rex Henricus dederat, confirmatur ab Innocentio Papa, Datum in monte Tiburtino per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Card. ac Biblioth. XIV. Kal. Iunij Indict. V. Incarnat. Dominicæ anno 1142. Pontificatûs vero Domini Innocentij II. Papæ anno XIII.

Eodem anno apud Sammarthanos in *Gallia*

Chriſt.

Chriſt. ac Epiſcopis Bellicenſibus, eundem ſubſcripſiſſe reperio in quodam Diplomate, ab eodem Innocentio Guillelmo Bellicenſi Epiſcopo, eiuſque ſucceſſoribus conceſſo, in quo Bellicenſes Canonici regulæ S. Auguſtini ſeſe addicunt. Datæ tenor eſt. Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Card. ac Biblioth. Prid. Non. Decemb. Indict. VI. Incarn. Dominicæ anno 1142. Pontificatûs verò Domini Innocentij II. Papæ anno XIII.

Eundem Gerardum Bibliothecæ præfuiſſe conſtat ex quodam Priuilegio ab Vghellio in Feſulanis Epiſcopis allato, & á Cœleſtino II. Ionathæ Feſulaneno Epiſcopo conceſſo, in quo eadem Eccleſia ſub tutela S. Petri ſuſcipitur, ſub hac Data.

Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presb. Card. ac Biblioth. Sec. Non. Martij Indict. VI. Incarnat. Dominicæ 1143. Pontif. verò D. Cœleſtini Papæ II. anno I.

Idem etiam teſtatur aliud Diploma, quod nobis Vghellius exhibet in Eugubinis Epiſcopis, ab eodem Cœleſtino, Benedicto Præpoſito Eccleſiæ B. Marini Eugubinæ Ciuitatis, eiuſque fratribus conceſſum, in quo eiuſdem Eccleſiæ iura ac bona firmantur, & hanc Datam præſefert.

Datum Later. per manum Gerardi S. R. E.

Preſb. Card. ac Bibliothecarij XIV. Kal. Nouemb. Indict. VI. Incarnationis Dominicæ anno MCXLIII. Pontif. verò Dom. Cœleſtini Papæ anno primo.

Reperitur etiam eodem anno in alio Diplomate ſubſcriptus, quod Cæleſtinus II. ſupra memoratus Alberto Abbati Monaſterij S. Saluatoris & B. Quirici Populonien, eiuſque ſucceſſoribus indulſit, atque eius Eccleſiam ſub S. Sedis Ap. tutela ac protectione ſuſcepit, huius data ſic ſe habet.

Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Card. ac Bibliothecarij Non. Decembris Incarnationis Dominicæ anno MCXLIII. Pontificatûs verò D. Cœleſtini II. Papæ anno primo.

Ex Vghellio in Epiſcopis Populonij & Maſſæ.

MCXXXXIV. Hoc anno cùm Gerardus ad Summi Pontificatûs apicem euectus eſſet ſub nomine Lucij II. in Bibliothecarij munere ſibi ſucceſſorem adlegit Robertum Pullinum Anglum S. R. E. Presbyterum Cardinalem, qui eo munere functus eſt ſub eodem Lucio, & Eugenio III. ab anno ſcilicet MCXLIV. ad annum MCXLVII. ex Raſpono.

MCLXXXXII. Ex Vghellio in Archiepiſcopis Florentinis habetur Diploma Cœleſtini III. per quod Lanfranco Abbati S. Mariæ de Bono ſolatio, & ſucceſſoribus, bona Eccleſiæ confirmantur

tur ſub Datum Laterani per manum Gerardi S. R. E. Presbyteri Cardinalis, & Bibliothecarij 4. Kal. Martij Ind. X. Incarn. Dom. an. 1192. Pontific. Verò D. Cœleſtini PP. II. an. I.

Notandum hîc numerum II. erratum eſſe, quia III. dicendum, nam indictio X. recurrit in anno 1192. Item patet error ex Diplomatum ſubſcriptionibus, ſi conferatur cum alijs ſupramemorati Gerardi. Cùm igitur ſub Cœleſtino III. eſſet Procancellarius Cencius Sabellus Diaconus S. Luciæ in Orphea, ex hoc colligitur officiorum diuerſitas.

Poſt hunc Gerardum, per ſæculum circiter, nullum alium reperio Bibliothecarium.

MCCCXVI. Ioannes Lemouicenſis Gallus Bibliothecarius ſub eodem Ioanne Benedicto XII. & Clemente VI. ex Raſpono.

MCCCXXXXVI. Fr. Raymundus de Acono ex Monaſterio Appamiarum Gallus, ex Epiſcopo Foroliuienſi Epiſcopus Appamiarum, Ioanni Lemouicenſi in Bibliothecarij munere ſuffectus eſt, ac eo functus ſub Clemente VI. & Vrbano V. Raſponus.

MCCCLXVI. Succeſſit Raymundo anno 1666. Mag. Frater Petrus Amely de Brenato Lemouicenſis, ex Epiſcopo Senogallienſi Archiepiſcopus Tarentinus, & Patriarcha Gradenſis, demum Patriarcha Alexandrinus, ſedentibus Vrbano

bano V. Gregorio X. Vrbano VI. & Bonifacio IX.

MCCCLXXVIII. Petro Amelij defuncto, Bibliothecæ præfuit Fr. Petrus Appamenſis, qui ab Vrbano Papa V. primus Epiſcopus Montis Flaſconis renunciatus eſt.

MCCCXCV. Mag. Petrus Aſſalbiti Gallus Lemouicenſis ex Olorenſi Epiſcopus Condouenſis deinde Electenſis Bibliothecarij munus geſſit ſub Bonifacio IX. Innocentio VII. Gregorio XII. Alexandro V. Ioanne XXIII. Martino V. & Eugenio IV. atque adeo ab anno MCCCXCV. vſque ad MCCCCXL. ex Raſpono.

MCCCCXL. Succeſſit Petro Mag. Rodulphus Gallus Lemouicenſis Epiſcopus Tiphernas, anno MCCCCXL. Sedentibus Eugenio IV. Nicolao V. Calliſto III. & Pio II.

MCCCCLXIII. Hoc anno Bibliothecæ præerat Fr. Ioannes Tiphernas, qui poſtea ad Maſſenſis Eccleſiæ Infulas promotus eſt ex Raſpono.

MCCCCLXXV. Bartholomæus, ſeu, vt alij vocant, Baptiſta Platina Cremonenſis, Vir Eccleſiaſtica eruditione refertus, & qui in Vitis Romanorum Pontificum, quas cum maximo ſui nominis incremento conſcripſit, æternum ſui teſtimonium protulit, Sixti IV. familiaritatem ſortitus eſt, ac ab eodem Bibliothecæ Vaticanæ Pontificatûs anno

no VI. Domini verò MCDLXXV. præfectus fuit atque huiuſmedi munus perpetuum fore decretum eſt, ex Angelo Rocca à Camerino in *Bibliotheca Vaticana*. De ſupra laudato Platina quòd fuerit Bibliothecarius, ac denominaretur Bartholomæus, meminit Hieronymus Paulus Barchinonenſis in ſua praxi Cancellariæ. Fuit enim Hieronymus Paulus ſynchronus Platinæ, ac vtrique Summi Pontificis Sixti IV. familiares. Narrat etiam Trithemius de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Platinam fuiſſe Apoſtolicum Abbreuiatorem, vnde colligi poteſt eundem ſubſcribendi etiam Diplomata munus exercuiſſe, vt nos in eodem munere detenti facimus.

Idem Sixtus IV. anno X. Cuſtodem addidit Platinæ Petrum Demetrium Lucenſem, ex eius Bulla Kal. Martij 1480.

Ioannes Chadellus Lugdunenſis creatus fuit & anno ſequenti alter Cuſtos 4. Kal. Martij 1480. vt ex Bulla.

MCDLXXXI. Bartholomæus Manfredus Clericus Bertinorienſis Diœceſis, Platinâ mortuo, in eius locum ſuffectus eſt, Pontificatûs Sixti IV. an. XI. ab orbe redempto MCDLXXXI. additâ dignitate primi Scutiferi, & præſtitâ cautione decem millium Ducatorum, vt ex Bulla Dat. XIV. Kal. Nouemb. 1481.

Chri-

MCDXXCIV. Chriſtophorus Perſona Romanus Prior S. Balbinæ, creatus anno 1484. ex Angelo Rocca in *Biblioth. Vaticana*.

MCDXXCVII. Ioannes de Dionyſijs Venetus anno 1487. ex eodem.

MCDXCIII. Hieronymus Cathalanus Archidiaconus Barchinonenſis, qui fuit Alexander VI. Cubicularius anno 1493. eiuſdemque Pontificatûs anno II. ex eodem.

MCDXCV. Ioannes Fonſalida Hiſpanus Epiſcopus Interamnenſis anno 1495. ex eodem.

MDV. Fr. Volaterranus Archiepiſcopus Raguſinus anno 1505. ex eodem.

MDX. Thomas Ingeramius, aliàs Phædrus Volaterranus anno 1510. ex eodem. Mortuo Demetrio primo Cuſtode, Iulius II. an. 1611. ſubſtituit Laurentium Parmenium Camerinen. pro altero ex duobus Cuſtodibus, viuente adhuc Ioanne Chadello, vt ex Breue ſub die 6. Iulij 1511. Anno 1512. Mortuo Ioanne Chadello, ſubſtituitur Romulus Bernardi de Mammacino Arretinus, vt ex Breui ſub die prima Septembris 1512. Anno 1513. Leo X. creauit, ſiue potiùs confirmauit eundem Laurentium Parmenum, ac Romulum de Mammacino, eorumque ſucceſſores in Scutiferos ſecretos participantes, ac Lectores perperpetuos in Pontificio *Tinello*, ac etiam Libro-

rum

rum Cuſtodes, qui Pontificiæ Capellæ interueniebant, ac duos eiſdem Seruos attribuit, ſed ad eorum nutum amouibiles, vt ex Bulla ſub Dat. 24. Aug. 1513.

Cùm occaſione eiuſdem Bullæ lis orta eſſet inter Parmenium & Romulum ex vna, ac Scutiferos participantes ex altera partibus, Pontifex eorundem Bullam ſpeciali ſuo motu proprio confirmauit III. Pontificatûs anno ſub die X. Kal. Aprilis. Hæc ſatis de Primo & Secundo Cuſtodibus, ſequentium verò Catalogorum curam relinquimus illis, qui ad præſens hoc munus exercent, modò ad Bibliothecarios redimus.

MDXVI. Philippus Beroaldus Iunior Bononienſis, Bibliothecæ præfuit anno MDXVI. ex Angelo Rocca in ſua Bibliotheca Vaticana.

MDXVIII. Fr. Zenobius Accarolus Florentinus Ordinis Prædicatorum Anno 1518. ex eodem.

MDXXXIII. An. MDXXXIV. Brauius Martellus Bibliothecarius, ex quodam inuentario in eadem Bibliotheca ſub num. 3951.

MDXXXVII. Hieronymum Aleandrum Carnum Archiepiſcopum Brunduſinum Cardinalem Bibliothecæ Vaticanæ præfuiſſe anno MDXXXVII. Scribit idem Angelus Rocca in dicta Biblioth. Vatic.

MDXXXVIII. Auguſtinus Steuchus Eugubinus Epiſcopus Chiſamenſis Congregationis S. Saluatoris Bononienſis, Bibliothecæ Præfectus legitur anno 1538. ex eodem Rocca. Itidem ſequentes videlicet.

MDXLVIII. Marcellus Ceruinus Politianus Presbyter Card. qui fuit Pontifex, à Paulo III. creatus anno MDXLVIII. ex eodem.

MDLV. Robertus de Nobilibus Politianus Diaconus Card. à Paulo IV. creatus an. MDLV. ex eodem.

MDLVIII. Alphonſus Carafa Neapolitanus Diaconus Cardinalis Bibliothecæ præerat anno MDLVIII. ex eodem.

MDLXV. Marcus Antonius Amulius Presbyter Card. Venetus anno MDLXV. ex eodem.

MDLXXII. Guilielmus Sirletus Presbyter Card. Calaber an. MDLXXII. ex eodem, obijt an. 1585.

Sequentes Bibliothecarios pro viribus ex Ciaconio eruimus, illiſque certum annum ex meris coniecturis obitûs vel ceſſionis aſſignauimus, quare ſi aliquis anachroniſmus in ſequenti texendo Catalogo fortaſſe irrepſerit, non nobis, ſed Hiſtoricis, alijſque, quibus cura, annos, menſes, ac dies ad munus admiſſionis deſcribendi ſpectare deberet, adſcribendus eſt.

MDLXXXV. Antonius Carafa Neapolitanus

Pre-

Presbyter Cardinalis Tit. SS. Ioannis & Pauli à Sixto V. Bibliothecarius creatus, an. MDLXXXV. obijt die 2. Ianuarij 1591.

MDXCI. Aſcanius Columna Romanus, Diaconus Cardinalis ſub Sixto V. Bibliothecarius: Obijt die 18. Maij anno 1608.

MDXCVIII. Cæſari Baronio S. R. E. Cardinali Bibliothecarij munus collatum fuit à Clemente VIII. anno 1598. vt ex eius Epiſt. Dedicatoria ad dictum Pontificem in Tom. VIII. Annal. impreſſa anno 1599. vbi recens Bibliothecarij munus appellat, quare conijcitur præmemoratum Aſcanium hoc Bibliothecarij munus in manibus Sanctiſſimi dimiſiſſe, ad hoc vt Baronio conferretur.

MDCVII. Ludouicus de Torres Romanus S. R. E. Cardinalis ſub Paulo V. Bibliothecarius fuit: obijt die 9. Iulij 1609.

MDCIX. Scipio Burgheſius Romanus S. R. E. Cardinalis, Bibliothecarij munere functus eſt ſub Paulo V.

MDCXVI. Scipio Cobellutius Viterbienſis S. R. E. Cardinalis & Bibliothecarius per ceſſionem ſupradicti Cardinalis Burgheſij circiter hunc annum, occaſione quâ in hoc anno ipſe Cobellutius ad Purpuram promotus fuit; obijt an. 1627.

MDCXXVII. Franciſcus Barberinus Floren-

tinus S. R. E. Cardinalis ac Bibliothecarius ſub Vrbano VIII. circiter hunc annum.

MDCXXXIII. Fr. Antonius Barberinus Ord. Capuccinorum S. R. E. Presbyter Card. S. Onuphrij, ac Bibliothecarius per ceſſionem eiuſdem Franciſci Cardinalis anno Domini 1633. circiter: occaſione fortaſſe, quâ in fine anni 1632. Vicecancellarij munus eidem Franciſco Cardinali delatum fuit, obijt Antonius ann. 1646. die XI. Septemb.

MDCXLVI. Horatius Iuſtinianus Patritius Genuenſis S. R. E. Card. ac Bibliothecarius ſub Innocentio X. anno 1646. obijt die 25. Iulij 1649.

MDCXLIX. Aloyſius Capponius Florentinus S. R. E. Diaconus Card. à Paulo V. creatus ab Innocentio verò X. Bibliothecarius renunciatus.

MDCLIX. Flauius Chiſius Senenſis S. R. E. Presbyter Card. à S. mem. Alexandro VII. Sum. Pont. vt Vaticanæ Bibliothecæ præeſſet munus demandatum fuit die 21. Iunij, illiuſque poſſeſſionem adeptus eſt die 29. Septembris eiuſdem anni, vt ex infraſcripto Breue Apoſtolico apparet, cuius mihi copiam fecit ex conſueta ſua benignitate idem Em. Card. eiuſdem Breuis tenorem integrum, exhibemus, non tantum in præſentium, quàm poſterorum eruditionem, cùm tempus omnia deuoret, ac ſecum in obliuionem trahat. Breuis tenor eſt.

Dile-

Dilecto Filio noſtro Flauio tituli S. Mariæ de Populo Presbytero Cardinali Chiſio nuncupato; noſtro ſecundum carnem ex fratre germano nepoti.

ALEXANDER PP. VII.

DIlecte fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Spectata circumſpectionis tuę in grauiſſimis noſtris & huius Sanctæ Sedis negotijs peragendis prudentia, fides, doctrina, & integritas promerentur, vt præcipua & quæ nobis maximè cordi ſunt eiuſdem Sedis munia tibi committamus. Cùm itaque officium S R. E. Bibliothecarij ſeu Protectoris Bibliothecæ noſtræ Vaticanæ quod bo: me: Aloyſius tituli S. Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis Capponius nuncupatus S. R. E. Bibliothecarius dum viueret obtinebat, per obitum ipſius Aloyſij Cardinalis, qui nuper apud Sedem Apoſtolicam debitum naturæ perſoluit, vacauerit, & vacet ad præſens. Nos de prædictis, & alijs eximijs inſignium virtutum donis, quibus illarum largitor Altiſſimus perſonam tuam multipliciter inſigniuit, plurimum in Domino confiſi, Motu proprio, & ex certa Scientia, & matura deliberatione noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, officium S. R. E Bibliotheca-

rij ſeu dictæ Bibliothecæ Protectoris huiuſmodi, ſic vt præfertur, vacans cum auctoritatibus, facultatibus, honoribus, & oneribus per alios Cardinales Bibliothecarios ſeu dictæ Bibliothecæ Protectores ante te haberi & exerceri ſolitis & conſuetis, etiam à fel. rec: Paulo PP. V. prædeceſſore noſtro per ſuas in ſimili forma Breuis ſub die prima Iulij MDCVII. expeditas literas, quarum tenores præſentibus pro expreſſis haberi volumus, præſcriptis, & quibus illi vſi ſunt, ſeu vti potuerunt, vel etiam debuerunt, tenore præſentium ad tui vitam concedimus, & conferimus, teque in locum ipſius Aloyſij Cardinalis quoad Officium Bibliothecarij ſeu Bibliothecæ huiuſmodi Protectoris ſubſtituimus, & ſurrogamus. Mandantes dilectis filijs Cuſtodibus, Scriptoribus, & Miniſtris dictæ Bibliothecæ, cæteriſque ad quos ſpectat, vt te ad prædictum Bibliothecarij Officium eâ quâ decet reuerentiâ recipiant, & admittant, tuiſque iuſſis, monitis, & mandatis in his quæ ad bonam ipſius Bibliothecæ directionem & proſperum ſtatum pertinebunt, pareant, & obediant. Nos enim tibi, quoſcumque in præmiſſis non obtemperantes, cenſuris & pœnis ad id opportunis compeſcendo, omniaque & ſingula alia Officium Bibliothecarij ſeu Protectoris dictæ Bibliothecæ de iure, vel conſuetudine, ac aliàs quomo-

modolibet concernentia, neceſſariaque & opportuna gerendi, & exercendi plenam, & liberam tribuimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quauis firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, cæteriſquê contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub annulo Piſcâtoris Die XXI. Iunij MDCLIX. Pontificatûs Noſtri. Anno Quinto.

G. Gualterius.

A tergo Breuis erat.

In nomine Domini Amen: Fidem facio per præſentes ego infraſcriptus Reu. Cameræ Apoſtolicæ Notarius qualiter die 29. Septembris 1659. Retroſcriptus Eminentiſſimus, & Reuerendiſſimus D. Flauius Tit. S. Mariæ de Populo S. R. E. Presbyter Cardinalis Chiſius nuncupatus, vigore retroſcriptarum literarum Apoſtolicarum &c. & aliàs omni &c. adeptus fuit poſſeſionem retroſcripti Officij Bibliothecarij S. R. E. ſeu Bibliothecæ huiuſmodi Protectoris, & aliàs latiùs, prout in actis mei &c., ad quæ &c. In quorum fidem &c. Datum &c. die & anno ſupradictis.

Ita eſt Franciſcûs Lucatellus Reu. Cameræ Apoſtolicæ Notarius.

Lau

MDCLXXXI. Laurentio Brancato de Lauræa nuncupato, S. R. E. Presbytero Cardinali Bibliothecarij munus vacans per liberam dimiſſionem ſupramemorati Flauij S. R. E. Cardinalis Chiſij in manibus huius Sanctiſſimi Pontificis Innocentij PP. XI. ſponte factam delatum fuit die 19: Septembris 1681. Tenorem Breuis hanc conceſſionem continentis ſummatim refero, cùm parum à ſupra memorato Eminentiſſimi Chiſij diſcrepet: cuius tenor ſic ſe habet: *(foris)* Dilecto filio noſtro Laurentio S. R. E. Presbytero Cardinali Brancato nuncupato. *(intus)* Innocentius PP. XI. Dilecto Filio noſtro ſalutem &c. Spectatæ circumſpectionis tuæ &c. committamus. Cùm itaque officium S. R. E. Bibliothecarij, ſeu Protectoris Bibliothecæ noſtræ Vaticanæ, quod dilectus Filius noſter Flauius Tit. S. Mariæ de Populo, eiuſdem S. R. E. Presbyter Cardinalis Chiſius nuncupatus ad ſui Vitam ex conceſſione Apoſtolica nuper obtinebat, per liberam dimiſſionem ipſius Officij, ab eodem Flauio Cardinale in manibus noſtris ſponte factam, & per nos admiſſam, vacauerit, & vacet de præſenti. Nos de præfatis & alijs eximijs Virtutum donis &c. confiſi Motu proprio &c. Officium S. R. E. Bibliothecarij &c. tenore præſentium ad tui Vitam concedimus, & conferimus &c. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem ſub anu-

lo

lo Piſcatoris, die 19. Septembris 1681. Pontificatûs noſtri anno V.

Eiuſdem Officij poſſeſſionem ſupra laudatus Eminentiſſimus Cardinalis de Lauræa aſſequutus fuit die 6. Menſis Octobris eiuſdem Anni 1681. vt ex fide Franciſci Antamori R. C. Ap. Secretarij apparet, retrò eiuſdem Breuis appoſitá.

Plura de hoc Cardinali eiuſque Virtutibus dicenda forent, ſed ne notâ inurar, me diſceſſiſſe ab obſeruata ſemita in relatione aliorum Bibliothecariorum, calamum ſuſpendo, relinquens locum alijs de tanto Eccleſiaſtico Principe fuſiùs tractaturis.

Licèt ex hactenus congeſtis conati fuerimus oſtendere Bibliothecarij munus à Cancellario differre, attamen eruditis ad plenum ſatisfactum eſſe dubito, cùm plures auctoritates allegari poſſint, quæ affirmant ambo hæc officia vnum & idem eſſe: qui in hanc iuerunt ſententiam vltra ſuperiùs relatos Panuinium, Cohellium, & Raſponum, fuerunt etiam Alphonſus Sotus Gloſſator antiquus, in Procemio Regularum Cancellariæ Apoſtolicæ Innocentij PP. VIII. qui de Vicecancellario ſic loquitur: *Sciendum neceſſarium puto, quod Vicecancellarius eſt ille, qui has Regulas regit, & ad eius diſpoſitionem dantur in Curia, & extra eam cum ſubſcriptionibus duorum Abbreuiatorum, vt dicit*

vna Regula, & ibi videbimus infra: & iſte eſt Iudex in pertinentibus ad expeditiones iuridicas Bullarum, & eſt in Curia maior poſt Papam, vt dicit Card. in dicta Clementina 2. de Electione in 12. col. in 4. q. & vocatur de Iure antiquo Bibliothecarius 63. diſt. c. Adrianus lo. 1. iuncta gloſ. & arbitror quod propterea vocatur Bibliothecarius, quia debet cuſtodire & Libros Bullarum, & Libros Regularum extrauag. & ex hoc in Curia practicatur, quod habet de regiſtro Bullarum certam partem: quia tenetur reddere rationem de omnibus ibidem contentis. Plura de eodem Viceeancellario proferri poſſent, quæ breuitatis gratiâ, & ne nimis diuagemur, duximus omittenda. Gloſſatorem hunc poſteri Scriptores ſecuti ſunt, vtpote Gomeſius, Caſanæus, Guillelmus de Benedictis, Toloſanus, Franciſcus Longius, Mandoſius, Macrus, & ferè omnes Canoniſtæ, ac Lexicographi, qui de Viceeancellario tractârunt, quique potiùs Amanuenſes, quàm veritatis indagatores dici poſſunt. Quare vt concludam, ſi non ad plenum probaui inter Bibliothecarium & Cancellarium diſcrimen, maximam ſaltem dubitandi anſam in lucem protuli, alijs certiora docendi locum relinquens.

Experientia rerum Magiſtra nos docuit, & docet, quod niſi fuiſſent Scriptores, qui ſuorum temporum, ac Anteceſſorum geſta Scriptis tradidiſſent,

nos

nos in obliuionis ac ignorantiæ tenebris verſaremur; Veritatem hanc experti fuimus in ſupra memorato texendo Catalogo, in quo concinnando multos inſumpſimus labores, & nihilominus imperfectum opus edidimus. Quare illis, qui hanc ſuſceperunt prouinciam, grates rependere debemus. Vtinam etiam de præſenti ſint, qui res ſui temporis geſtas deſcribendi curam ſuſcipiant. Rogamus igitur, atque hortamur modernos Sapientiſſimos Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodes, vt Poſterorum amore ducti, Librum conſtituant, in quo Admittendi non ſolùm ſui muneris Apoſtolicum Breue proprijs Admittentium manibus, ac tempus in munere admiſſionis regiſtrent; Verùm etiam id à Scriptoribus, & alijs Subalternis Miniſtris obſeruari iubeant, idque etiam de Supremo Præfecto ſiue Cardinali Bibliothecario cupimus fieri, ab vno ex prædictis Scriptoribus. Ex hoc enim Matriculæ Libro non ſolùm admiſſionis tempus in munere cuiuſlibet Miniſtri, verùm etiam ipſius Characteris forma deduci poterit. Quare Poſteri in euoluendis Codicibus Manuſcriptis, ſcient à quo Scriptore conſcripti, vel à quibus, in ipſis Codicibus notæ appoſitæ fuerint.

INDEX MATERIARVM.

A

ALexander Papa Iunior quis. 49.
Alexandri II. Papæ iter demonſtratur. 52.
Alexandri III. publicus acceſſus ad Venetos oſtenditur. 11.
Arcarium Sedis Apoſtolicæ. 9.
Archicancellarium primus omnium ſe ſubſcripſit Hermannus Colonienſis Archiepiſcopus. 40.
Archiuum Romanum. 4.
Arnulphus Imperator. 9.
Auctor diuerſis modis ſe ſubſcribit. 9.
Auctores referuntur, qui exiſtimarunt Vicecancellarium, idem eſſe ac Bibliothecarium. 97.
Auctoris munera quæ ſint. 7.
Auditores Contradictarum Diplomata ſubſcripſerunt. 10.

B

BIbliothecæ Apoſtolicæ origo deſcripta à Fr. Angelo Rocca. 3.
Bibliothecam Romanam inſtituit S. Clemens. 5.
Bibliothecas duas in Palatio Lateranenſi excitauit Hilarus Papa. 4. 5.
Bibliothecarij & Cancellarij munus in eadem perſona Anno 1046. 37.
Bibliothecarij munus delatum in perpetuum Epiſcopis Syluæ Candidæ. 36.
Breue Apoſtolicum quo conceditur Eminentiſſimo Flauio Chi-

Chiſio Præfectura Bibliothecæ. 93. eiuſdem Præfecturæ poſſeſſio. 95.
Breue conceſſionis Præfecturę Cardinali de Laurea 96. eius poſſeſſio. 97.

C

CAncellarij officium diuerſum à Bibliothecario. 80. 81. 85.
Canonizatio S. Vdalrici Epiſcopi Auguſtani. 25.
Capellani Papæ Diplomata ſubſcripſere. 10.
Cardinalis Franciſcus Barberinus diuerſis modis ſe ſubſcribebat. 79.
Catalogus Bibliothecariorum conſarcinatus à Cohellio & Raſpono. 1.
Catholica Romana Eccleſia. 77.
R. P. Claudius Eſteniothus laudatur 30.
Cohellius texuit Catalogum Bibliothecariorum. 1.
Cuſtodes deputati ad Bibliothecam Vaticanam. 83.

D

DEmetrius Lucenſis primus Cuſtos Bibliothecæ. 87.
Diaconi Diplomata ſubſcripſere. 9.
Diplomata ſubſcribendi munus varijs Officialibus demandatur 7. per diuerſas vias eadem expediuntur.

E

F*Ranus* error Amanuenſis, locò *per manus*. 41.
Fridericus Archiepiſcopus Salisburgenſis creatus, in Concilio Rauennatenſi. 22.
Fridericus Cancellarius & Archidiaconus à Leone IX. miſſus Conſtantinopolim. 43.

Ha-

H

HAdriani II. creatio Anno. 867. 17.
Heroldus Archiepiſcopus Salisburgenſis depoſitus, ac excomunicatus in Concilio Rauennatenſi. 22.
Hortatio ad modernos Cuſtodes. 98.
Humbertus Cardinalis Vir inſignis. 47.

I

IOannes Chadellus Secundus Cuſtos Bibliothecæ. 89.

L

LAurentius Parmenius Cuſtos 1510. 88.
Leo IX. Natalem Domini Veronæ celebrauit Anno. 1049. 36.

N

NIcolai I. mors accidit Anno. 867. 17.
Nomenclatores Diplomata ſubſcripſere. 8.

O

OTho Imperator Maior, ideſt Senior 22.
Otho Imperator Minor, ideſt Iunior 22. ex hac mentione elicitur Chronologia.

P

PLatina nominabatur Bartholomæus, & non Baptiſta. 12.
Platina fuit Abbreuiator Apoſtolicus, vt aliqui Scribunt. 87.
Primicerij Diplomata ſubſcripſerunt. 8.

R

RAſponus texuit Cathalogum Bibliothecariorum 1. Illoſque confundit cum Vicecancellarijs. 20. 33.
Romulus Arretinus A C. 1512. 88.

S

SAmmarthani fratres laudantur. 57.
Sedes Apoſtolica appellatur Sanctiſſima. 20. 24. 27. 29.
Sergius IV. Papa diù vixit. 29.
Serui duo ad inſeruiendum Bibliothecæ attributi. 89.
Subdiaconi Diplomata ſubſcripſerunt. 9.
Synodus habita in Vaticano Anno. 969. 22.

IN-

INDEX NOMINVM BIBLIOTHECARIORVM.

A

ALoyſius Capponius. Anno 1649. Pagina 92.
Alphonſus Carafa. 1558. 90.
Anaſtaſius Romanus Abbas. 865. 15. 17. Idem 877. 18.
Andreas Epiſcopus. . . . 23.
Anonymus. 795. 13.
Fr. Antonius Barberinus. 1633. 92.
Antonius Carafa. 1585. 90.
Aribo. 1056. 44.
Aſcanius Columna. 1591. 91.
Auguſtinus Steuchius. 1538. 90.

B

BArtholomæus Manfredus 1481. 87.
Bartholomæus Platina. 1485. 66.
Benedictus Epiſcopus Portuenſis. 1020. 30. Ibidem Anno 1026. 32.
Benedictus Epiſcopus Syluæ candidæ 742. 12. Idem Anno 884. 19.
Beniamin Vicebibliothecarius 1083. 58.
Boſo Epiſcopus. . . . 1917. 29. 30. Idem. 1027. 33.
Brauius Martellus. 153. 89.
Bruno Epiſcopus Signenſis. 1088. 58.

C

CÆſar Baronius . 1598. 91.
Chriſtophorus Perſona . 1484. 88.
Chriſtophorus Primicerius . 870. 17.
Chryſogonus Malcondinus Piſanus Pro-Bibliothecarius . 1118. 69.
Chryſogonus Diaconus Cardinalis . 1119. 69. & ſeq.

D

DAdus Epiſcopus . 1024. 32.

F

FLauius Chiſius . 1669. 92.
Erancifcus Barberinus . 1627. 91.
Franus Friderici Diaconus . 1052. 41.
Fridericus Diaconus . 1052. 40. & ſeq.
Fridericus Diaconus Bibliothecarius & Cancellarius. 1051. 37.

G

GEorgius . 823. 14. 15.
Gerardus Preſbyter Cardinalis . 1141. 81.
Gregorius Epiſcopus . . . . 1012. 28.
Gregorius Epiſcopus Portuenſis . 993. 25. 26.
Gregorius Marcelli filius, Diaconus Cardinalis 690. 12.
Gualbertus Epiſcopus Portuenſis 860. 16.
Guido Epiſcopus Syluæ Candidæ . 969, 21.
Guillelmus. 900. 19.
Guillelmus Sirletus . 1572. 90.

Hic-

H

Hieronymus Archicancellarius & Colonienſis Archiepiſcopus. 1053. 42.
Hieronymus Leander. 1537. 87.
Hildebrandus Pro-Bibliothecarius. 1055. 43.
Hortatius Iuſtinianus. 1646. 92.
Humbertus Epiſcopus Syluæ Candidæ. 1057. 44. cum ſeq.

I

Ioannes Cardinalis. 815. 14.
Ioannes Diaconus Cardinalis. 1105. 59. & ſeq.
Ioannes de Dionyſijs. 1487. 88.
Ioannes Epiſcopus. 984. 24.
Ioannes Epiſcopus Albanus. 996. 26. 27.
Ioannes Epiſcopus Albanus 1063. 49.
Ioannes Epiſcopus Nepeſinus 992. 24. 25.
Ioannes Epiſcopus Salernitanus. 978. 23.
Ioannes Fonſalida. 1495. 88.
Ioannes Lemouicenſis. 1316. 85.
Ioannes Leuita. 595. 12.
Ioannes Tiphernas. 1463. 86.

L

Laurentius Brancatus Cardinalis de Lauræa. 1681. 96.
Laurentius Presbyter Cardinalis. 580. 12.
Ludouicus de Torres. 1607. 91.

M

Marcellus Ceruinus. 1647. 90.
Marcus Antonius Amulius. 1565. 90.

Marinus. 956. 20.
Marinus Epiſcopus. 972. 23.
Maynardus Capranus Pro Bibliothecarius. 1060. 47.
Megiſtus Monachus & Abbas. 854. 15.

P

Peregrinus Colonienſis Archiepiſcopus. 1026. 92.
Petrus 1065. 50. & ſeq.
Fr. Petrus Amelij de Brenato. 1366. 85.
Petrus Appamenſis. 1378. 86.
Petrus Aſſalbiti. 1395. 86.
Petrus Clericus Pro-Bibliothecarius. 1069. 52. 53. 57.
Petrus Diaconus 872. 18.
Petrus Diaconus. 1046. 34. 35. 36. Idem. 1049. 39.
Petrus Epiſcopus Præneſtinus. 1012. 28. 1027. 32.
Petrus Romanus Diaconus. 600. 12.
Philippus Bertoldus. 1517. 89.

R

Fr. Raymundus de Acono. 1346. 85.
Robertus de Nobilibus. 1555. 90.
Robertus Pullinus Anglus Cardinalis. 1144. 84.
Rodulphus Gallus. 1440. 86.
Rofridus Diaconus. 1075. 55.

S

Scipio Burgheſius. 1609. 91.
Scipio Cobellutius. 1616. 91.
Sergius. 823. 14.
Seruidus Pro-Bibliothecarius. 1090. 58.
Sico Diaconus Cardinalis. 1120. 72.

Ste-

Stephanus Epiſcopus. 983. 24.

T

TIberius Primicerius. 864. 15.
Thomas Ingeramius. 1510. 88.

V

VDo Tullenſis Primicerius. 1051. 39.
Vgo Vicebibliothecarius 1122. 80.
Fr. Volaterranus 1500. 88.

W

WIdo Epiſcopus. 973. 22.

Z

ZAcharias Epiſcopus Anagninus. 882. 18.
Zenobius Accarolus. 1518. 89.

INDEX LOCORVM;

In quibus reperiuntur Data Diplomata Pontificum, conſarcinatus ſecundùm temporis ſeriem.

DAtum Romæ 9. Kal. April. Anno 595. pag. 12.
Eresburg. 7. Kal. Ianuar. Anno 795. 13.
Romæ in Monaſterio S. Anaſtaſij 7. Kal. Decemb. Anno 815. 14.
Romæ Non. Ianuarij. 876. 18.
Ratisbonæ Nonis Octobris. 1053. 42.
Beneuenti 12. Kal. Ianuarij. 1054. 43.
Romæ in Palatio Lateranenſi 2. Nonas Martij. 1057. 44.
In Caſtro Caſino Menſe Decembris. 1057. 45.
Florentiæ 6. Idus Ianuarij. 1059. 46.
Romæ 3. Non. Maij 1060. 47.
Romæ 17. Kal. Iunij. 1060. 47.
Lucæ. 1063. 48.
Laterani 15. Kal. Maij. 1065. 50.
Laterani 3. Kal. Nouemb. 1066. 50.
Laterani 11. Kal. Iunij. 1067. 50.
Capuæ 4. Id. Octob. 1067. 51.
Peruſiæ 3. Kal. Ianuarij. 1068. 51.
Laterani Idibus April. 1068. 51.
Narniæ 17. Kal. Februarij. 1069. 52.
Catilioni in Monaſterio Sancti Laurentij. 16. Kal. Februarij. 1069. 52.
Laterani 5. Kal. Februarij. 1070. 53.

Late-

Laterani 12. Kal. Aprilis. 1070. 53.
Lucæ Non. Octob. 1070. 54.
In Caſtro Caſſino Kal. Octobris. 1071. 54.
Lucæ 4. Id. Martij. 1072. 54.
Lucæ 4. Kal. Nouemb. 1072. 54.
Romæ 5. Non. Martij. 1073. 55.
Florentiæ 5. Kal. Ianuarij. 1076. 56.
Laterani 5. Id. Decemb. 1076. 56.
Laterani 4. Id. Ianuarij. 1078. 56.
Laterani 7. Kal. April.. 1078. 57.
Laterani 4. Non. Martij. 1081. 57.
Romæ 16. Kal. Maij. 1083. 58.
Capuæ . . . . 1088. 58.
Laterani 11. Kal. April. 1105. 59,
Laterani 6. Kal. Ianuarij. 1106. 59.
Apud Villam S. Hippolyti 6. Id. Februarij. 1106. 59.
Apud Placentiam 17. Kal. Decemb. 1106. 60.
Parmæ 4. Non. Nouemb. 1106. 60.
Romæ apud Porticum S. Petri 14. Kal. Decemb. 1106. 60.
Laterani 5. Id. Maij. 1107. 61.
Siluiniaci 8. Id. Iunij. 1107. 61.
Apud Priuatum 3. Id. Iunij. 1107. 61.
Apud Aquam bellam 2. Non. Auguſti. 1107. 62.
Apud Monaſterium S. Dionyſij 2. Kal. Maij. 1108. 62.
Florentiæ Oct. Kal. Octob. 1108. 62.
Romæ in Porticu S. Petri - 4. Non. Iunij. 1109. 63.
Apud Caſtellum 17. Kal. Nouemb. 1109. 63.
Romæ in Porticu B. Petri 5. Kal. Maij. 1110. 63.
Beneuenti Idibus Iulij. 1110. 64.
Laterani pridie Non. Februarij. 1113. 64.
Beneuenti 9. Kal. Februarij. 1114. 65.
Laterani 11. Kal. Maij. 1114. 65.
Laterani 4. Non. Decemb. 1114. 66.
Anagniæ 7. Id. Nouemb. 1114. 66.
Laterani 6. Id. Februarij. 1115. 66.
Laterani 5. Kal. Martij 1115. 67.

Beneuenti 8. Kal. Iunij . 1115. 67.
Laterani 2. Id. Martij 1116. 68.
Laterani 9. Kal. Aprilis 1116. 68.
Albæ 3. Idus Aprilis . 1116. 68.
Apud Tranſtyberim 4. Non. Decemb. 1116. 69.
Apud S. Dionyſium 5. Kal. Decemb. 1118. 69.
Sedeloci 10. Kal. Ianuarij. 1119. 69.
Toloſæ Idibus Fulij . 1119. 70.
Turoni 17. Kal. Octob. 1119. 70.
Remis Kal. Nouemb. 1119. 71.
Sedoloci 10. Kal. Ianuarij 1119. 71.
Pariſijs 8. Id. Octob. 1119. 71.
Beneuenti 3. Kal. Decemb. 1120. 72.
Valentiæ 8. Kal. Martij . 1120. 72.
Apud Celſinlaniam 6. Id. Maij . 1120. 73.
Apud Magalonam 2. Kal. Iulij . 1120. 73.
Laterani 3. Non. Ianuarij . 1121. 74.
Laterani Nonis Ianuarij 1121. 74.
Laterani 5. Kal. Ianuarij . 1121. 74.
Laterani 18. Kal. Februarij . 1121. 75.
Placentiæ 15. Kal. Maij. 1121. 75.
Beneuenti 8. kal. Octob. 1121. 76.
Neocaſtri 5. Id. Decemb. 1121. 76.
Apud S. Petrum 3. Februarij 1121. 76.
Laterani 10. kal. Ianuarij . 1122. 77.
Laterani 5. kal. Ianuarij. 1122. 77.
Catanzarij 5. kal. Ianuarij . 1122. 77.
Laterani 7. Id. Maij 1122. 78.
Albæ 15. kal. Iunij . 1122. 78.
In Territorio Palienſi 18. kal. Iulij . 1122. 78.
Mantiæ 3. Non. Nouemb. 1122. 80.
Laterani 2. Non. Ianuarij . 1141. 81.
Laterani 13. kal. Maij . 1142. 81.
Latum, ſeu Laterani . 7. kal. Maij . 1142. 82.
In Monte Tiburtino 14. kal. Iunij 1142. 82.
Laterani Non. Decemb. 1142. 83.

Laterani Sec. Non. Martij. 1143. 83.
Laterani 14. kal, Nouemb. 1143. 83.
Laterani Non. Decembris. 1143. 84.
Ferrariæ kal. Maij. 1177. 11.
Venetijs in Riuo Alto 4. k. Iulij 1177. 11.
Laterani 4. kal. Martij. 1192. 85.

INDEX LOCORVM,

In quibus reperiuntur Data Pontificum Diplomata, collectus ſecundum ordinem Alphabeti.

A

ALbæ 3. Idus Aprilis 1116. pag. 68. Ibidem XV. kal. Iunij 1122. pag. 78.
Anagniæ 7. Id. Nouemb. 1114. 66.
In S. Anaſtaſij Monaſterio Romæ 7. kal. Decemb. 815. 14.
Apud Aquambellam 2. Non. Augusti. 1107. 62.

B

BEneuenti. 12. kal. Ianuarij 1054. 43. Ibid. Idibus Iulij. 1110. 64. Ibid. 9. kal. Feb. 1114. 65. Ibidem 8. kal. Iunij 115. 67. Ibid. 3. kal. Decemb. 1120. 72. Ibid. 8. kal. Octob. 1121. 76.

C

CApuæ. 4. Id. Octob. 1067. 51. Ibid. 1088. 58.
Apud Caſtellum 17. kal. Nouemb. 1109. 63.
In Caſtro Caſino Menſe Decembris. 1057. 45. Ibidem.

kal. Octob. 1071. 54.
Catanzarij 5. kal. Ianuarij. 1122. 77.
Catilioni in Monaſterio D. Laurentij 16. kal. Februarij. 1069. 52.
Apud Celſinlaniam 6. Id. Maij. 1120. 73.

D

Apud S. Dionyſij Monaſterium. 2. kal. Maij. 1108. 62. Apud S. Dionyſium 5. kal. Dec. 1118. 69.

E

EResburg. 7. kal. Ianuarij. 795.

F

FLorentiæ 6. Idus Ianuarij. 1059. 46. Ibidem 5. kal. Ianuarij. 1076. pag. 56. Ibidem Oct. kal. Octob. 1108. 62. Ibid. kal. Maij. Anno 1177.

L

LAterani 15. kal. Maij 1065. pag. 50. Ibid. 3. kal. Nouemb. 1066. 50. Ibid. 11. kal. Iunij 1067. 50. Ibid. Idibus April. 1068. 57. Ibid. 5. kal. Februarij 1070. 53. Ibid. 12. kal. Aprilis 1070. 53. Ibidem. 5. Id. Decemb. 1076. 56. Ibid. 4. Id. Ianuarij 1078. 56. Ibidem. 7. kal. April. 1078. 57. Ibid. 4. Non. Martij. 1081. 57. Ibid. 11. kal. April. 1105. pag. 59. Ibidem 6. kal. Ianuarij 1106. 59. Ibidem. 5. Id. Maij 1107. 61. Ibidem Pridie Non. Februarij 1113. 64. Ibid. 11. kal. Maij 1114. 65.

Ibi-

Ibidem . 4. Non. Decemb. 1114. 66. Ib id. 6. Id. Februarij 1115. 66. Ibidem. 5. kal. Martij 1115. 67. Ibid. 2. Id. Martij. 1116. 68. Ibid. 9. kal. Aprilis 1116. 68. Ibid. 3. Non. Ianuarij 1121. 74. Ibid. Nonis Ianuarij. 1121. 74. Ibid. 5. kal. Ianuar. 1121. 74. Ibid. 18. kal. Februarij 1121. 75. Ibid. 10. kal. Ianuarij 1122. 77. Ibid. 5. kal. Ianuarij 1122. 77. Ibid. 7. Id. Maij. 1122. 78. Ibid. 2. Non. Ianuarij. 1141. 81. Ibid. 13. kal. Maij 1142. 81. Ibid. 7. kal. Maij 1142. 82. Ibid. 2. Non. Martij 1143. 83. Ibid. Non. Decemb. 1142. 83. Ibid. 14. kal. Nouemb. 1143. 83. Ibid. Non. Decemb. 1143. 84. Ibidem 4. kal. Martij 1192. 85.

Lucæ 1063 48. Ibidem . Non. Octob. 1070. 54. Ibidem. 4. Id. Martij. 1072. 54. Ibidem. 4. kal. Nouembris 1072. 54.

M

Apud Magalonam 2. kal. Iulij 1120. 73.

Mantiæ 3. Non. Noueb. 1122. 80.

N

Narnæ 17. kal. Februarij Anno 1069. 52.

Neocaſtri 5. Id. Decemb. 1121. 76.

P

In Palienſi Territorio 18. kal. Iulij Anno 1122. 78.

Pariſijs 8. Id. Octob. 1119. 71.

Parmæ 4. Non. Nouemb. 1106. 60.

Peruſiæ 3. kal. Ianuarij . 1068. 51.

Placentiæ 15. kal. Maij . 1121. 75.

Apud

Apud Placentiam 17. kal. Decemb. 1106. 60.
Apud S. Petrum. 3. Februarij. 1121. 76.
In Porticu B. Petri Romæ 5. kal. Maij 1110. 63. Ibid. 14. kal. Decemb. 1106. 60.
Apud Priuatum 3. Id. Iunij 1107. 61.

R

Ratisbonæ Nonis Octobris 1053. 42.
Remis kal. Nouemb. 1119. 71.
Romæ 9. kal. April. 595. 12. Ibid. Non. Ianuarij 876. 18. Ibidem in Palatio Lateranenſi 2. Nonas Martij. 1057. 44. Ibidem in Porticu S. Petri 4. Non. Iunij 1109. 63. Ibid. in Porticu S. Petri 5. Kal. Maij 1110. 63. Ibid. in Porticu S. Petri 14. kallen. Decemb. 1106. 60. Ibidem 3. Non. Maij 1060. 47. Ibid. 17. kal. Iunij 1060. 47. Ibidem 5. Non. Martij. 1073. 55. Ibid. 16. Kal. Maij 1083. 58. Ibid. 4. Non. Decemb. 1116. 69.

S

Sedoloci 10. Kal. Ianuarij. 1119. 71. Ibidem 10. Kal. Ianuarij 1119. 69.
Siluiniaci 8. Id. Iunij 1107. 61.

T

In monte Tiburtino 14. Kal. Iunij 1142. 82.
Toloſæ Idibus Iulij. 1119. 70.
Apud Tranſtyberim 4. Non. Decemb. 1116. 69.
Turoni 17. Kal. Octob. 1119. 70.

V

VAlentiæ 8. Kal. Martij. 1120. 72.
Venetijs in Riuo Alto 4. Kal. Iulij. 1177. 11.
Apud Villam S. Hippolyti 6. Id. Februarij. 1106. 59.

PARERGON
AD EXAMEN
LIBRI PONTIFICALIS.

2

PARERGON
AD EXAMEN
LIBRI PONTIFICALIS,
SIVE EPISTOLA
PII II. AD CAROLVM VII.
REGEM FRANCIÆ

Ab Hæreticis deprauata, & à Launoiana calumnia vindicata.

CVRA, ET STVDIO

IOANNIS CIAMPINI ROMANI
MAGISTRI BREVIVM GRATIAE,
Necnon Maioris Præſidentiæ Abbreuiatoris,
AC IN VTRAQVE
SIGNATVRA REFERENDARII.

ROMÆ,
Ex Typographia Ioannis Iacobi Komarek. MDCLXXXVIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D.

HIERONYMO

CASANATA

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI

AMPLISSIMO.

SALVBRITER; ſapientiſſimèque Romani Pontifices etiam in primis Eccleſiæ ſæculis inſtituerunt, vt critico quodam cribro, atque operoſo delectu ex omnige-

nigena ampliſſimaque Librorum congerie mali à bonis, veluti infelix lolium â tritico ſecernerentur: nè ſcilicet hominum imperitorum manibus promiſcuè reuoluti maxima cum animarum pernicie faciles, & inuetitum pronas mentes inficerent. Mos autem iſte, ſi vnquam, noſtris certè diebus potiſſimum viget, cum Sacri Indicis Congregatio omni operâ ſtudioque laboret, vt omnes libri, qui vel Catholicæ Fidei ſinceritati, vel bonis moribus poſſint officere; non ſecùs ac peſtes ſecernat, ac damnet. Alios inter, quos ætas hæc noſtra malarum ſegetum haud ſterilis edidit, ſanctiſſimaque ſacræ Congregationis cenſura damnauit, Ioannis Launoij Epiſtolæ recenſitæ fuerunt, ex cauſis, quæ nulli magìs quàm Tibi notæ eſſe debent, quem vnà cum alijs ad hoc delectis Eminentiſſimis Cardinalibus peculiaris Pontificis prouidentia digniſſimè eidem Congregationi præfecit, Iudicemque conſtituit. Cùm igitur in hac mea diſſertatiuncula Epiſtolæ Pij II. ad Carolum

VII.

VII. particulam à Launoio quàm ſæpiſſimè, & penè ad nauſeam repetitam ab eius Viri calumnijs vindicare tentauerim, meas haſce Lucubrationes Tibi præcipuè dicandas exiſtimaui, cùm in his de Romani Pontificis, atque Apoſtolicæ ſedis honore tuendo aſſerendoque vnicè agatur, cuius Tu inter Eminentiſſimos Viros præcipuus es, acerrimuſque defenſor, ac propugnator. Accipe igitur, oro, labores meos, quo ſoles vultu hilari, ac renidenti, atque hunc, quem offero, floſculum gratum habe, qui è meo cæteroqui inamœno, immò, vt verum fatear, ex amœniſſimo tuo Literarum Viridario collectus eſt, ex ampliſſima ſcilicet atque auguſta Tua Bibliotheca: cùm mihi plurimos ac ſingularis notæ Codices quàm humaniſſimè ſæpiùs arbitrio meo tam in præſenti, quàm in alijs texendis operibus commodaueris, vnde mirum eſt quantum lucis atque ornamenti ijſdem acceſſerit. Gratum inquam habe hoc quidquid ſit, mei certè beneficiorum memoris ani-

mi

mi teſtimonium, ita enim operoſiùs ad alia fortè ſuauiora ſerenda, colligendaque in dies enitar. Vale
Princeps Eminentiſſime.

Humill. Deuotiſs. & Addictiſs. Seruus
Ioannes Ciampinus.

PA-